







5 1.

12
18
2
10



BERNHARDI VERZASCHÆ
Scholarchæ & Archiatri,

CENTVRIA PRIMA
Obſervationum Medicarum.

Cui acceſſerunt
CELEBERRIMORVM VIRORVM
conſilia & epiſtolæ.

Cum INDICIBVS *neceſſariis.*







BASILEÆ

Typis JOHANNIS JACOBI DECKERI.
A. S. CIↃ IↃC LXXVII.
Proſtat *AMSTERODAMI*
apud HENRICVM WETSTENIVM
Bibliopolam.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO MAGNO

MARCHIONI BADENSI
ET HOCHBERGENSI
LANDGRAVIO IN SAVSENBERG
COMITI IN SPANHEIM
ET EBERSTEIN
DOMINO IN RÖTELEN
BADENWEILER LAHR
ET MAHLBERG &c.
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO
HANC OBSERVATION. MEDIC.
CENTVRIAM PRIMAM
HVMILIMA CVM OBSERVANTIA
DEVOTISSIMOQ. OBSEQVIO
INSCRIBIT ET OFFERT

BERNHARDVS VERZASCHA
SENATOR BASILEENSIS.



SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.



CTAVIUM CÆSAREM AUGUSTUM, cùm ei quidam modò exporrectâ manu modò retractâ libellum trepidus offerret, lepidè illum interrogavisse: *putasne te assem vel stipem elephanto exhibere?* referunt *Macrobius* & *Suetonius*. Enimverò prudenter judicavit judiciosissimus OCTAVIUS, Marte invicto magnus CÆSAR, sed almâ

)*(2 pace

pace major AUGUSTUS, nefandum esse flagitium, si ad Reges & Principes tanquam ad immites feras, sive elephantorum rectores atque domitores accedamus.

Coram TE, SERENISSIME PRINCEPS, primam mearum observationum centuriam supplici dextrâ offerendo intrepidus compareo, simulque felicia imperii auspicia, regimen gloriosum, vitam prolixam, magnitudinem Domûs perennitate florentem, & quæcunque imperantis fortunati Principis vota esse possunt, à Summo Cœli Terræque Monarchâ, cum unanimi Bonorum omnium applausu apprecor. Constantem hanc animi

mei firmitudinem persuasit gentilitius FAMILIÆ TUÆ CELSISSIMÆ Favor, quem luculentis testimoniis comprobatum quotidie experior, & summisso devoti pectoris cultu deveneror. Quòd SERENISSIMUS GENITOR TUUS, S. IMPERATORIÆ MAIESTATIS ET ROMANI IMPERII STATUUM SUPREMUS CAMPI MARESCALLUS, irreparabili Totius Germaniæ damno eheu! nuper terris exemptus, inter Archiatros suos me numerare dignatus fuerit, hoc unicum TUÆ SERENITATIS gratiæ debeo, TUO enim instinctu, PRINCEPS OPTIME, negocium maturatum fuit, ut Proteo-

rum, in quascunque fallacis Seculi formas sese mutantium, irriti conatus eliderentur, qui spartam Archiatri dubiam mihi reddere vanis tentaminibus allaborarunt. Dum SERENISSIMUS PARENS, Heros inclytus, inclinatis Romani Imperii Columnis atque labascenti Germanorum aureæ libertati auxilium certum fide sacerrimâ non saltem offerret, sed & validissimè conferret, atque *Philippiburgum*, urbem naturâ, arte, milite, machinis validissimam, ab eo aggeribus cinctam, vallis obsessam, tormentis bellicis succussam, potentissimo etiam hoste vel castris admoliri non auso, victricibus armis expugnaret,

gnaret, moderno IMPERATORI invictiſſimo, Rei Germanicæ poſt DEUM immortalem Statori unico, ac univerſo Orbi Teutonico demonſtravit, venerandam antiquitatem magna quidem nomina feræ poſteritati commendaviſſe, ſed ætatem noſtram nondum in effœtum Virtutum Heroicarum ſeculum incidiſſe, imò quod antiquæ tum Orientis tum Occidentis Heroum famæ ſine ceruſſa opponere poſſit, in GENITORE TUO verè & fideliter deprædicare: quippe in illo *Miltiadem & Timoleonta, Marcellum Romanum & Scipionem Africanum majorem, Camillum & Themiſtoclem, Paulum Æmilium &*

Epaminondam, ac quicquid in maximis bellorum Ducibus priſca ætas ſuſpexit, Germania afflicta, emiſſariis Momis fruſtra debachantibus, experta fuit.

Interim nec Tuæ Virtuti, SERENISSIME PRINCEPS, nec nominis immortalitati area defuit, utpote qui ſummam diligentiam noctes diesque adhibuiſti, quò à truculenti hoſtis excurſionibus, ferro & flammis cuncta devaſtantibus, Tuam ditionem liberares, ſicque rebus admodum creperis proſtratos Tuorum Subditorum animos ad meliorem ſpem erigeres. Hinc ſæpius in mentem meam revoco, cùm aliquando, CELSITUDINE

TUA præſente, conſultum fuiſſet, in decumanâ hac Germaniæ rutubâ nil tutius nilque utilius eſſe, niſi ut STATIBUS PUBLICIS ſibimet relictis, quilibet ſua tantùm commoda curet, SERENITATEM TUAM reſpondiſſe, abominandum hoc conſilium à rabulis & tenebrionibus approbari. Optimum Principem non ſaltem ſibi, ſed etiam ſuis natum eſſe, ac honeſtum Reipublicæ civem omnibus privatis emolumentis publicam Patriæ ſalutem anteponere. O auream & Tanto Principe dignam vocem! Ita SERENISSIME PRINCEPS, tradux Heroum ſanguis, MAIORUM TUORUM Virtutem, Famam, Glo-

riam, laudabili & memorando posteris exemplo imitaris. Hæ Tibi superandæ vel saltem sustinendæ sunt. Magna Tuis oculis exempla domestica obversantur. Vix majora aut propiora aspicere Tibi contingit. Magnam spem sustines Celsissime Princeps Friderice Magne. Vnde nihil majus à Te exspectandum, vel à Deo Trino Et Vno calidissimis supplicationibus Tibi apprecandum erit, quàm ut incomparabili Virtute Tua, Pii, Felicis, Augusti Principis exemplar, Orbi Germanico ab hostis furibundi grassationibus liberato & optuma

rerum

rerum pace redonato, ad Nestoreos annos repræsentare possis. Cum quo voto finio,

Perscriptum Basileæ d. X. Martii, A. S. cIↃ IↃC *LXXVII.*



LECTORI CANDIDO SALUTEM.

QVòd in edendâ observationũ Medicarum centuriâ primâ, Lector benevole, Tibi lentũ nomen appareo, illud sanè gravioribus causis atq; fatalibus remoris adscribendum est. Institutum meum sufflaminarunt dira pestis & epidemica febris maligna, Patriæ dilectissimæ nuper infesta; industriæ obstiterunt concatenatæ ægrotorum avocationes & suscepta pro illorum salute ad diversos Principes, Nobiles, Exteros itinera, imò omnem ferè spem surripuit librorum edendorum interstitio, cùm apud Germanos tristissimis istis temporibus, non ampliùs atramento, sed sanguine humano

humano ſcribatur, & publicus luctus, quem univerſalis calamitas Germaniæ candidis animis impreſſit, proh dolor! utramq; paginam abſolvat.

Quia tamen à Viris excellentiſſimis, ſummis Seculi noſtri Medicis, inchoatæ ſcriptionis continuatio repetitis vicibus deſiderata & ſæpius efflagitata fuit, ne malum nomen proclamarer, qui lentum me fuiſſe confiteor, denuo operi manum admovi, & favente Divini Numinis gratiâ, hanc primam obſervationum mearum centuriam ad finem perduxi. In hac, Lector candide, indefeſſum meum de familiâ Aſclepiadeâ *benè merendi ſtudium ac laborem inprimis cognoſces, hoc unicum enim intendi, ut junioribus*

Medi-

Medicinæ Doctoribus via commoda porrò monstretur, cui in praxi medicâ cum crescente nominis famâ insistere poßint; hinc etiam reliquas remediorum formulas utiliores, quas post editum Riverium *meum contractum sive medicinæ practicæ compendium, consilia & epistolæ præcellentium ævi nostri Medicorum in lucem emissæ mihi suppeditarunt, aut experientia rerum magistra apud ægrotos confirmavit, centuriæ huic inserere necessarium duxi. Horum Virorum doctrinam raram & judicium acre promeritis laudibus extuli, nec ullius nomen ac famam temerè lacessivi. Interim ut salva mea esset innocentia & candor conscientiæ illibatus, discrepandum alicubi fuit*

à Viris

à Viris quibusdam clarissimis, quorum merita non saltem agnosco, sed etiam veneror, hoc ipsum tamen cum debitâ honoris præfatione præstitum est, adductis simul rationibus, quibus omnem dissentiendi pruritum à me longius removeo. Convitia non Medicos sed mediastinos decent. DEUS *pacis & concordiæ Autor homines ratione ac judicio, bestias rostro & unguibus armavit, ut quod istæ dilaniando ac lacerando exequuntur, illi ratiocinando & judicando sine morsu perficere deberent. Vale feliciter Lector candide & studiis meis bono publico dicatis favere perge.*

Ad

****

Ad
VIRUM Ampliss. & Excellentiss.
DN. BERNARDUM VERZASCHAM,
Reip. Basil. Senatorem, Scholarcham, Archiatrum meritiss. &c.

primam observat. Medicarum centuriam edentem,

Epigramma.

Ἦν δειλὸν βροτέων γένος, ὅττ' ἀπερείσια νούσων
Τείρῃ κεῖνο γένη παντοδαπῆς βασάνοις.
Δεῖ γοῦν ἁμμετέρην πόλιν εὐδαίμονα, Κυρ,
Σεῖο ἀλέξοντος, φέρτατε, πῆμα νόσων.

VERSIO.

SI miserum mortale genus, quòd maxima turba
Morborum excruciet tormine id omnigeno.
O nos felices! queis, Te, Vir Maxime, *damnum*
Propulsante, isthinc noxia turba fugit.

obs. m. p.

JOH. RODOLFUS WETSTENIUS, FIL.
Oratoriæ Prof. Basil.



BERNHARDI VERZASCHÆ Obſervationes Medicæ.



OBSERVATIO I.

Cœliaca Paßio cum Iſchuria Singulari.



I*OHANNES PAVLI*, Vir quinquaginta octo annorum, Sereniſſimi Principis FRIDERICI Marchionis Badenſis, &c. Celſiſſimi in gloriam Germaniæ Principum Herois, Domini mei clementiſſimi, &c. *Præfectus Sauſenburgenſis & Rötelenſis*, poſteaquam per aliquot annos cruciatibus arthriticis oppreſſus decubuiſſet, ut tandem macies corporis univerſa obitum minitaretur, ſubitò in cœliacam paſſionem incidit.

Ad illum vocatus obſervavi excrementa liquida, inæqualia, ſemi-chyloſa: acceſſit admirandum ſymptoma ſuppreſſio urinæ: tetigi veſicam urinâ plenam, nec ullum calculi ſignum animadverti. Primo & ſecundo die ſequentia remedia uſurpavit. ℞. *amygdal. dulc. recent. excort.* ℥ß. *ſem. cucum. & melon. recent. excort.* ā. ʒij. *papav. alb.* ʒj. *aq.*

fragar. malvæ ā. ℥iij. fiat emulsio pro duabus dosibus. ℞. *Aq. malvæ, fragar. ā. ℥iß. syr. althea Fernelij, corallor. ā. ℥j. fiat julepus pro una dosi.* ℞. *ol. nucistæ expreß. ʒij menth. nardin. ā. ʒiij. ceræ q. s. fiat linimentum abdominis tepidè usurpandum.* noctu sumpsit granum dimidium *laudani opiati*, cujus compositionem in *River. contr. libr. X. cap. VI.* proposui: Tertio die jussi sequentem clysterem injicere. ℞. *herb. violar. malvæ heder. terrestr. alth. ā. Mj. flor. sambuci melilot. ā. Pj. sem. anisi ʒij incisa bulliant parum in lacte, in colat. ℥x. solve mell. violar. rosar ā. ℥iß. F. clyster.* Regioni vesicæ sequentes sacculi alternatim imponebantur. ℞. *herbar. 4. emollient. ā. Mij. veronic. Mj. flor. sambuci Pij. sem. lini ℥j. incisa dentur ad sacculos duos lacti incoquendos.* eodem die prædictam emulsionem & julepum etiam usurpavit, unde urinam in parva quantitate reddidit, quæ tamen mox rursus supprimebatur. Ad virium robur conservandum seq. aqua cardiaca usus fuit. ℞. *aq. cardiac. in exercitat. de apoplex. §. XI. descriptæ, melissæ, fragar. fl. tiliæ. ā. ℥j. cinnam. ʒij. julep. rosati, syr. citri, ā. ℥ß. confect. alkerm. ʒj. Misce.* Die quarto lethargus supervenit, qui illum quinto die sub vesperam accedentibus lipothymiis è medio sustulit. Mirandam hancce ischuriam ab obtuso vesicæ sensu ortum traxisse, nullus dubitavi, nervos enim vesica in collo ab osse sacro & in corpore à nervo sexti paris recipit, hos si stupor occupet, sensum vesica amittit, nec irritamento rei molestæ afficitur, sicque urinam retinet.

Scio mihi contrarium esse *Fernelium lib. VI. de part. morb. & symptom. cap. XIII.* cujus hæc sunt verba. *Ischuria causam* Galenus *plerunq; refundit in obtu-*

sum

ſum veſicæ ſenſum, ob quem illa ſe impleri non ſentit, nec idcirco ad excretionem irritatur. At certè urina quamdiu patentem liberamq; viam habet (ut in iis, qui ob calculum ſecti ſunt) nullo propellente aut excernente prolabitur, & ſuopte impetu foras excidit: una igitur ſuppreſſæ urinæ cauſa eſt adſtrictio vel obſtructio. Sed reſpondeo I. Falſum eſt *Galenum* Iſchuriæ cauſam PLERVNQVE *in obtuſum veſicæ ſenſum refundere.* contrarium patet ex *lib. VI. de loc. affect. cap. IV.* Συμβαίνει διὰ δυσαισθησίαν τῆς κυστέως γίγνεσθαι ποτ' ἐπίσχεσιν οὔρων. *accidit propter labefactatum ſenſum veſicæ, ut urinæ retentio ALIQVANDO contingat.* II. Rectè aſſerit Ampliſſimus *Beverovicius lib. de calcul. ren. & veſic. cap. II.* quod hujus controverſiæ ſolutio pendeat à facultate, qua functiones ſuas veſica expedit, h. e. urinam retinet ac expellit: utraque partim naturalis, partim animalis, quod & *Galenus* prædicto loco profitetur. Naturalis eſt, quatenus urina in veſicæ fundo obliquarum fibrarum miniſterio retinetur, & ad excluſionem rei moleſtæ ac irritantis ſtimulato veſicæ ſenſu expellitur. Animalis eſt, quatenus pro voluntatis arbitrio ſphincteris muſculi beneficio ſiſtitur, & ope muſculorum abdominis urina excernitur, hinc modo tardius modo celerius ad arbitrium noſtrum urina redditur aut cohibetur, quod ſi ſponte & ſuopte impetu foras excideret, quando via patens & libera eſt, in homine ſano indeſinenter efflueret.

Aſt objicitur: in hominibus ſanis meatus clauditur à muſculo ſphinctere, qui à natura conditus eſt, ut ductui urinario tanquam præfectus exitum occluderet, ne quoties aut copia aut prava quali-

tate homines gravat, præter voluntatem urina exiliret. Sed an non hoc indicat? à sensu hanc functionem dependere: adde, quod in ægris, licet nulla adsit aut adstrictio vel obstructio, quas unicas ischuriæ causas *Fernelius* ponit, urina tamen spontè non effluit, sed arbitrio eorum vel cohibetur vel excernitur. Quod de calculosis affertur, parum ad rem facit: nam cum in iis dissectus sit musculus spincter, retinendi facultate impedita per apertum & declive vulnus urina sponte elabitur, nec penitus tamen cessat animalis facultas, fibris vesicæ & sphincteris ab urinæ acrimonia stimulatis ac proinde excretionem juvantibus.

Unde nequaquam dubitandum, in amplissimo hoc Præfecto (cujus viscerum principaliorum functiones jam à multis annis debilitatæ erant) vesicæ sensum adeo labefactatum fuisse, ut ipsa velut stupore affecta urinam reddere non potuerit.



OBSERVATIO II.

Rara Urinæ Suppressio.

MERCATOR celebris omnimodam urinæ suppressionem inopinatò passus fuit, quæ raro exemplo usque ad diem vigesimum primum duravit, ita ut toto temporis tractu vix aliquot urinæ guttas reddiderit. Cum Affinis Medicus suus ordinarius D. *Felix Platerus* Senator & Archiater meritissimus tunc temporis decubuisset ex erysipelate, statim à principio morbi me vocavit,

vocavit. Præmisso examine, quoniam æger de insigni dolore circa ductum ureteris sinistri vomituque enormi conquerebatur, adstantibus prædixi, calculum in uretere sinistro hærere, & urinæ viam occludere. Sed quærebant, cur serum à rene dextro per ureterem in vesicam non prolabatur? unde æger urinam reddere possit: liberè illis respondi, hoc per consensum fieri, nam licet non SEMPER tamen SÆPIUS uno rene obstructo alterum officio suo fungi non posse. Primo die ad vesperam sequentia præscripsi. ℞. *amygdal. dulc. recent. excortic.* ℥iij. *semin. cucum. melon. rec. excortic. ā.* ℥ij. *papav. alb.* ℥j. *aq. fragor.* ℥ij. *malvæ, veronicæ, ā.* ℥iß. *sacch. ros. tab.* ℥ij. *F. emulsio pro duabus dosibus.* ℞. *rad. acetos.* ℥ß. *fragar.* ℥ij. *liquir. ras.* ℥j. *C. C. usti* ℥iij. *incisa coq. in aq. font. ad mensur. duas colat. detur pro potu ordinario.* ℞. *Syr. corallor. citri, ā.* ℥iß. *granator.* ℥j. *spir. sulphur. gt. x. misce.* cum cyatho prædicti decocti aliquot cochlearia horum syruporum plena æger commiscuit, & ordinariè bibit, vinum enim propter insignem renum calorem & imminentes podagricos dolores ipsi interdictum fuit. Secundo die ob summam vomitus molestiam & virium dejectionem sequentia remedia ordinavi: ℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥j. *borragin. roob ribium ā.* ℥ß. *cort. citri cond.* ℥ij. *confect. alkerm. hyacinth. ā.* ℥j. *syr. corallor. q. s. F. mixtura, de qua pro lubitu quantitas nucistæ sumatur.* ℞. *ol. nucistæ expreß.* ℥iß. *still. arantior. macis, ā.* ℈ß. *F. balsamum, quo superius orificium ventriculi illinatur.* Tertio die Æger balneo emolliente tepido aliquoties utebatur, è cujus egressu locus renum convenienti linimento inunctus & clyster injectus fuit: ℞. *rad. alth.* ℥ij. *lilior. alb.* ℥j. *herb.*

herb. 4. *emollient.ā.Mij.flor.sambuc.Pij. sem.lini* ℥iß. *incisa dentur ad usum balnei.* ℞. *Vnguent. rosat.* ℥ß. *santal.* ʒij. *ol.nymph. q.s. F. linimentum.* ℞. *rad. ononid.* ℥j. *herb. heder. terrestr. betonic. veron. parietar. ā. Mj. fl. sambuci Pi. sem. lini* ℥ß. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥x. *solve electuar. lenit.* ℥j. *benedict. laxat.* ℥ß. *mell. rorismar. ol. chamam. ā.* ℥j. *F.clyster.* Quarto die consului, ut Æger mane & vesperi de spiritu terebinthinæ in cochleari aqua fragorum pleno aliquot guttulas sumat, balneo & clystere utatur. Quinto die sequentem potiunculam duabus vicibus sumendam præscripsi. ℞. *aq. fragor. heder. terrestr. ā.* ℥ij. *sal. fabar. ononid. ā.* ℈ß. *tartar. vitriol. gr. vj. misce.* Sexto die balneum & clysma repetita fuerunt. Septimo die sequentem julepum consului. ℞. *Aq. fragor. ononid. ā.* ℥ij. *syr. alth. F. citri ā.* ℥j. *F. julepus pro duabus dosibus.* Octavo die, quoniam alvus fuerat adstricta, & abdomen serosis humoribus repletum, sequente syrupo commodè usus fuit. ℞. *syr. flor. persicor.* ℥ij. *aq. fragar.* ℥j. *F. potiuncula cum regimine diatæ sumenda.* Nono die julepum quinto die præscriptum sumpsit. Decimo & undecimo balneum & clysterem prædictum usurpavit. Duodecimo die, quum vires deficere inciperent, cardiacum præscripsi. ℞. *aq. cardiac. officin. fragor. meliss. ā.* ℥j. *sacch. rosat. tab.* ʒij. *margarit. prapar.* ℈j. *F. cardiacum.* Decimo tertio, quarto, quinto, sexto & septimo, balneum, julepos & clysteres prædictos usurpavit. Decimo octavo post ejectum clysma sequentem julepum sumpsit. ℞. *Aq. fragor.* ℥ij. *fl. tiliæ, borragin. ā.* ℥j. *syr. granator. citri. ā.* ℥j. *julep. rosat.* ʒij. *F. julepus pro duabus dosibus.* Decimo nono rursus clyster injectus fuit. Vigesimo die ob metum convulsio-

vulſionum aquam meam epilepticam cum cardiaca officinali mixtam præſcripſi, quam in *exercitat. de apoplex. §. XII.* propoſui. Die vigeſimo primo fortiſſimum animi deliquium me præſente Ægrum invaſit & vitæ finem impoſuit.

Interim Cognati fide digni mihi retulerunt, prædictam de renum ſympathia ſententiam *nonnemini* diſplicuiſſe, affirmanti abſurdum eſſe, rene uno obſtructo alterum in reddenda urina inutilem fieri, forſan quia Clariſſimus Vir *D. Caſparus Bauhinus lib. I. theatr. anatomici cap. XXII.* ſcripſit: rene *uno obturato* ſeri *tamen attractio & profuſio non ceſſat*: aut quoniam *Fernelius lib. VI. de part. morb. & ſymptom. cap. XIII.* aurem vellicabat, inquiens: *ſi alterius duntaxat ureteris via obſtructa eſt, haud quaquam ſupprimitur urina, per alterum enim perlabitur.*

Hinc propter manifeſtam judiciorum diſcrepantiam Uxor & Cognati ex ultima Mariti petitione me rogarunt, ut cadaver aperiretur, quod Dn. *Franciſco Platero*, Magni *Felicis Plateri* Filio, Medicinæ Doctori meritiſſimo, & *Samuele Braunio* Chirurgo exercitato præſentibus factum fuit. Invenimus viſcera infimi ventris principaliora, ventriculum, hepar & lienem à naturali ſtatu nequaquam deflectentia: ren ſiniſter diſtentus ab humoribus ſeroſis ſtupenda magnitudine apparuit, quo diſſecto ſerum abundanter effluxit, & arenulæ copioſæ rubicundiſſimæ ſe manifeſtarunt, calculum autem ſemen cucumeris referentem in principio ureteris reperimus: ex ſero putreſcente ren fœtorem dextro illæſo & ſano contrahere incepit. Aperto thorace mox fluctuans in cavitate

ſeru m

ferum fe nobis obtulit, quod tamen pulmonibus & cordi nullam labem intulit, fic ut nequaquam dubitandum, faltem uno aut altero ante obitum die (quo Æger de imminente fuffocatione anxius conquerebatur) ferum in cavitatem thoracis regurgitaffe, ubi hydropem pectoris brevi produxiffet, nifi inopinata lipothymia Ægrum è medio fuftuliffet.

Quam iniquè autem meam de renum fympathia fententiam ut abfurdam *nonnemo* traduxerit, & quod alii Medici exercitatiffimi ante me idem obfervarint, neceffarium duco, hoc illis, qui *Viri Clariffimi* effata tanquam *Apollinis* oracula venerantur, teftimoniis omni exceptione majoribus demonftrare. Magnus Ævi noftri Anatomicus *Joannes Riolanus lib. II. anthropogr. cap. XXVI.* teftatur: *NON SEMEL obfervavi monitus à* Forefto, *una rene obftructo alterum inutilem & victum reddi, propriaq; actione deftitutum urina fluxum intercipere*: quæ verba, quafi *Forefti* effent, cum *Riolani* fint, ipfemet D. *Bauhinus* in margine dicti loci appofuit. Ampliffimus *Johannes Beverovicius, Dordracenus* Senator & Medicus, in *libro fingulari de calculo renum cap. I.* fe IDEM vidiffe profitetur. Vir Excellentiffimus *Johannes Löfelius Regiomontanus* Anatomicus *in fcrutinio renum artic. II. §. IV.* afferit: *uno rene obftructo vicinus ob fympathiam HAUD RARO inutilis redditur, lotiumq; vel ftillatim egeritur vel PRORSUS fupprimitur.* Celeberrimus *Dominicus de Marchettis*, Profeffor *Patavinus*, in fua *anatomia cap. V.* affirmat: *læfo uno rene, ut alter officium præftet, VIX contingere poteft, propter MUTUUM inter fe confenfum, affectus enim unius alteri FA-*

CILE

CILE *communicatur.* Quapropter Magnifici Viri *Johannis Jonstoni* verbis concludo, quæ in notis eruditissimis ad *titul.* XXXIV. *Coacar. prænotion* D LXXXIX. reperiuntur. SYMPATHIAE *rerum in officii societate* MAGNA VIS *est*.



OBSERVATIO III.

Vagitus Uterinus.

HOnesta Fœmina, annos triginta quatuor nata, ultimo graviditatis mense, cum mane è lecto surgeret, fœtum in utero vagire audivit, quod etiam adstans Maritus animadvertit. Hi maximo perculsi terrore statim me vocarunt, uxorque insigniter perterrefacta profusis lacrymis enarravit, quàm triste sibi omen acciderit: Jussi illam esse erecto animo, cum etiam aliæ Fœminæ gravidæ ejulatum uterinum sine ullo augurio sinistro expertæ sint. Tandem meis acquievit monitis, & post quatuordecim dies absque ullis portenti, quod vana pertimiscebat, indiciis puerum feliciter in lucem edidit.

Recensui hanc historiam Aviæ meæ honoratissimæ, quæ octuagenaria & antiquæ Fidei Matrona, plurimis parturientibus fœminis auxiliatrice manu feliciter adstitit, illa mihi retulit, aliquot fœminas sibi de vagitu uterino conquestas fuisse, quæ tamen singulæ fortunatim infantes enixæ sint.

Sic Princeps Eruditorum *Claudius Salmasius* ad

interpretationem *sect. IV. aphor. LXXIX. p. m.* 198. refert nobilem fœminam *Lugduno-Batavam* narrasse, fratris sui uxorem instante partitudinis tempore vagitum infantis in utero audivisse, & obstupefactam excitasse accubantem Virum dormientem, qui ejulatum percepit, sed nihilominus illa feliciter peperit. Ita Amplissimus *Antonius Deusingius* in dissertatione *de generatione fœtus in utero part. III. sect. I. §. XLIX.* recitat, quod D. *Monæus* Collega, dum adhuc in vivis esset, ipsi retulerit, suam uxorem infantis in utero ploratum audivisse, idemque Uxori D. *Salmuthi* & *Grœnevvolti* accidisse. Illustri Fœminæ contigit in cœnaculo post epulas unà cum Marito & Sacellano domestico aliisque sedenti, sentire insignem in ventre commotionem, quæ vestes adeo concussit, ut ab astantibus cerneretur (gravida tum erat & octavo mense fœtum gestavit) subitò vox audita est, cujus originem, unde venerat (de embryone nil suspicati) conjicere non poterant: mox tamen & secundò perturbari insigniter Matronæ ventrem & vestes conspiciunt, ac simul clamorem tanquam inde provenientem audiunt: dum hæc mirantur & invicem de portento conferunt, tertio eadem omnia eveniunt tam clarè, ut attentiores jam facti eum ex utero provenire non dubitarent: vivit etiamnum puella illa in materno utero loquax, vitaque satis salubri fruitur, uti Vir experientissimus *Gualterus Needham* Medicus *Anglus* in eleganti sua disquisitione anatomica de *formato fœtu cap. III* perhibet.

CHRISTIANI Secundi, Regis *Danorum*, vagitum

gitum in utero materno editum ex Annalibus *Danicis* recenset Flos Medicorum illibatus & Suadæ medulla, *Thomas Bartholinus cent. I. histor. anatom. rarior. I.* unde ex accuratissimo Tanti Viri judicio superstitiosi sunt illi, qui propter ejulatum uterinum utpote à causis naturalibus ortum Rebuspublicis malè ominantur: non vagitus sed pessimi mortalium mores & Divorum contemptus Civitatem evertunt: Vagientes & sibi & Matri & Reipublicæ subinde felicia portendunt: Sibi, quia robur indicant, & perfectas ad partum accelerandum partes doloresque judicandos. Matrem bonæ spei esse plenam jubet vagitus, vivere fœtum & ad promovendum partum sic satis esse validum: Reipublicæ & Principi fausta est acclamatio, nam ille vagiens apud *Livium* Io triumphale cecinisse fertur. Quod si augurio sinistro auditi nonnunquam sint vagitus, casui potius adscribendum quàm consilio naturæ: emendentur in melius mores, Sponsore *Bartholino* nulli vagitus nocebunt.



OBSERVATIO IV.

Ascitis Tympanitica.

FOEminæ quadraginta annorum abdomen stupendum in modum ex ascite tympanitica intumuit: convenientia remedia in *River. contract. lib. XI. cap. VI.* proposita (quorum ope

ope plures ab hoc morbo liberavi) diligenter usurpavit, sed malum cessare noluit, hinc ob metum suffocationis me aliquoties per omnia sacra rogavit, ut tumorem umbilici vesiculæ ad instar pellucidum compunctione aperirem. Respondi, hanc medendi methodum me non magnifacere, illamque incassum esse, si viscera corrupta sint. Tandem precibus adstantium urgentissimis victus, cultello acuto vesiculam aperui, & spacio duodecim dierum octodecim mensuras aquæ sensim eduxi; at decimo tertio die cum accessissem, subitanea lipothymia ægrotam è medio sustulit: posteaquam observarim, abdomen ex emissione seri non multum detumuisse, hinc illud præsente Matre & Sorore aperui; mox serum in tanta copia effluxit, ut triginta mensuras superaret, insuper etiam intestina corrupta, hepar & lien scirrhosum reperi.

Quod autem paracentesin parvi æstimem, causa est præcipua, quoniam ab illa licet exactè administrata vix ac ne vix centesimus evadit, præsertim cum ægri demum morbo diutius protracto illam desiderent, quando videlicet contaminata viscera spem vetant inchoare longam. *Nonnulli* contendunt, apertionem esse faciendam in principio morbi, antequam viscera insignem labem contraxerint, sed tunc illam non summè necessariam esse judico, quum isto tempore tutioribus remediis morbus profligari possit. Perpendant paracenteseos Patroni judicium, quod *Nicolaus Tulpius* magnificus Consul *Ambsterodamensis, lib. II. observation. medic. cap. XXXIIX.* de apertione umbilici protulit. Dissectio ventris hydropici, quam Græci

πα ϱα-

παρακέντησιν vocant, antiquum quidem est remedium sed admodum anceps, displicuit id olim *Erasistrato*, neque etiamnum placet omnibus, utpote rarò utile & sæpe noxium, damnum autem ipsius ut irreparabile, sic auxilium erit infidum, quippe non tam curat, quàm curationi viam facit, ex hauriendo magis aquam quàm ipsum fontem. Quocirca facilius invenies manum secantis, quàm verum vel ordinem vel secandi tempus, ne dum exactam educendi humoris copiam, quæ tamen nisi convenerit ad amussim cum viribus ab infido morbo labefactatis, necesse est perire, quisquis vitam suam tam ancipiti aleæ commiserit, in qua tam fortuitum est vincere quàm necesse perdere. Sed dicat quis? neminem ex artis lege secare, nisi prius de virium robore ac viscerum integritate constet: sed cui viscera valida & vires illæsæ, eum rarò aqua inter cutem affligit, vel etsi affligat, plerumque tantum temporis in medicamentis per alvum educentibus consumitur, ut vix de scalpello cogitetur, nisi ubi jam viscera præ morbi longitudine vitiata sint. Quod remedium propterea serius adhibitum magis mortem maturat quàm differt: effluens namque humor quantum hydropici corporis debilem calorem imminuit, tantum quoque spiritus plus nimiò evanidos dissipat: Imò quo celerius aqua à sectione profluit, eò citius vitæ alias diutius forsan duraturæ filum abrumpitur. Paupercula ascite laborans, judicata plurium Medicorum calculis satisferendo sectioni ventris, admisit Chirurgum abundè circumspectum, à quo licet vitaretur ritè tendinum concursus, neque

emitte-

emitteretur plus aquæ, quàm par erat, nequiit tamen ipſa ſoſpes evadere; ſed accenſa graviore febre, ſive ex motu ſive ob aquam eductam, incidit poſtridie ejus diei in ſudorem prius quidem calidum ſed mox frigidum, & ex eo haud diu poſt in ipſam mortem.

Concludo verbis *Simonis Pauli*, *Regii Medici Dani* celeberrimi, *quadripart. botan. claſſ. ſec. p. m.* 162. Sanctè teſtari poſſum (in gratiam Medicinæ Candidatorum praxin auſpicantium hæc addo) me non recordari ullum unquam hydropicorum his in oris ſervatum, quibus paracenteſis imperata fuit.



OBSERVATIO V.

Bubonocele.

MErcatoris Servus ex gravioris ſarcinæ portatu in ſiniſtro inguine bubonocelen paſſus fuit, hanc pudore ſuffuſus cum nemini manifeſtaret, illa tandem in abſceſſum degeneravit: unde vocavit me Herus; qui fidelitatem ſervi commendans petiit, ut ipſi ſuccurrerem: accerſito Chirurgo juſſi emplaſtrum contra rupturam applicare, inſuperque ſequentem potionem vulnerariam præſcripſi. ℞. *radic. tormentill. conſolid. maj. biſtort. ā.* ℥ß. *herb. ſanicula, pyrola, alchimil. agrimon. ā. Mj. flor. roſar. rubr. papav. rhead. granator. ā. Pij. ſem. aniſi.* ℨiß. *inciſa & contuſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui dua menſura vini albi mediocris & una aqua fontana affundan-*

affundantur, ac mane & vesperi cyathus plenus bibatur. Inde vulnus consolidatum fuit, & servus iste convenienti subligaculo utens munia consueta sine insigni impedimento rursus subire potuit.



OBSERVATIO. VI.

Vermiculus Cerebri.

CUm *Delemontum* superioribus annis ad *Canonicum* Literatum febre quartana laborantem vocatus essem, Civis *Delemontanus* annorum quinquaginta me invisit, qui de acutissima cephalæa per duos annos durante conquestus fuit: inveni illum *ἀπύρετον sine febri*, dolorem pungentem, stabilem, ad processus mammillares vergentem incusavit, unde sæpius sternutabat. Præscripsi pro curationis principio sequentem sacculum. ℞. *rad. scorzoner. ℥iij. cort. tamar. ℥ij. herb. betonic. verben. ā. Mß cichor. major. ā. Pi. summit. centaur. min. absinth. ā. Ps. folior. senn. el. ℥iiß. rad. helleb. nigr. pp. ℥iß. cremor. tart. ℥iij. sem. anisi ℥iß. coriandr. pp. ℥ß. incisa & contusa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi veteris affundatur, de qua alternis diebus mane ℥vj. cum regimine diætæ sumantur.* Finito hujus vini potu sequens apozema purgans etiam bono cum levamine bibit. ℞. *rad. poeon. ℥i. herb. betonic. verben. borragin. fragar. ā. Mß. coq. in aq. fontan. q. s. in colat. ℔ij. infunde per noctem folior. senn. elect. ℥ij. rad. helleb. nigr. pp. ℥j. sem. anisi ℥iß. mane bulliant par. in colat. solve syr. betonic. & flor.*

& flor. persicor. ā. ℥iß. aq. cinnam. ℥j. F. s. a. apozema, de quo alternis diebus ℥iij. cum regimine diata sumantur. Ex usu horum remediorum dolor mitigatus fuit, sed me per literas monuit, se circa processus mammillares dolorem acutum cum pruritu narium & sternutationis conatu percipere, hinc pulverem sternutatorium sequentem præscripsi. ℞. *Flor. lilior. convall. betonic. major. ā. ℈j. ambr. gris. mosch i oriental. ā. gr. j. F. pulvis subtilissimus*: hunc dum per aliquot dies usurpasset, vermiculum cum magna portione muci inopinatè emunxit, & sic dolor circa processus mammillares, pruritus narium & sternutationis conatus desiit.

Quoniam vermiculus iste cum muco excretus fuit, illum in cerebro genitum fuisse, nullus dubitavi, nam in hac putrescentis pituitæ officina vermes generari, testimoniis magnorum Virorum comprobabo. Admirationem superat *Lutetiana* puella, in vico *Delphino* annorum XII. cui curatis variolis tantus capitis dolor diuturnusque supervenit, ut tribus mensibus nec dormire, nec requiescere nullas dolore inducias concedente potuerit: tandem cum tabida obiisset, statim aperto cranio præsentes Medici totam cerebelli substantiam, qua ad dextrum vergit, à reliquo corpore sejunctam nigraque tunicam involutam deprehenderunt; hæc tunica rupta latentem vermem vivum & pilosum duobus punctis splendidis loco oculorum prodidit, ejusdem ferè molis cum reliqua cerebelli portione, qui duarum horarum spacio supervixit: hujus anomali abscessus fuit oculatus testis *Guido Patinus* Medicus *Parisiensis* ingenio & eruditione

eruditione inter primos conſpicuus, uti *Bartholinus* in libro de *angina epidem. exercit. III.* & *centur. I. hiſtor. anatom. LXIV.* refert, ubi ſimul indicat, quod O. W. (puto *Olaum Wormium* indigitare) *Daniæ* & Orbis Ornamentum, catarrho moleſto poſt febriculam vexatus, cum frequenti dolore capitis poſt cibum ſumptum ingraveſcente, è naribus vermiculum emunxerit. Aliud exemplum *Joel Langelotius*, Archiater *Gottorpianus*, in *Thomæ Bartholini centur. II. epiſtol. LXXIV.* proponit: nuper cum in *Dithmarſia* agerem, retulit Medicus ibi Ordinarius, vermem ſe manu ſua contrectaſſe digiti medii longitudine, qui è capite per nares fœminæ exire coactus fuit hoc modo. Fœmina ruſtica, iſtius loci incola, cum per multum tempus diros capitis dolores ſenſiſſet, tandemque ii adeo increviſſent, ut inſtar maniacæ hinc inde diſcurreret, venit ad Paſtorem pagi *Neukircken* famoſum tunc inter ruſticos Med. Practicum, qui non ita pridem vivis exceſſit: is ſtatim conſuetum ſibi in cephalalgiis ptarmicum miſerculæ adhibuit, quo caput vehementer concuſſum unà infauſtum hoſpitem loco movit, eque naribus exire compulit, quo facto immanis capitis dolor ſtatim conquievit. Sic ancillæ Chirurgi acerbè ac longè ex capite dolenti neque ullis remediis adjutæ, tulit tandem ſuppetias vermis è naribus prorumpens longitudine medii digiti, uti *Tulpius lib. VI. obſervat. medic. cap. XI.* perhibet. Plura exempla apud *Fabricium Hildanum lib. I. obſervat. IIX. Saxoniam lib. I. med. pract. cap. II. Foreſtum lib. XXI. obſervat. XXIIX. Schenckium lib. I. obſervat. V. de dolore capitis ex vermibus, Roſſæum epiſt. med. X. Zacutum*

lib. I. prax. med. admirabil. observat. VI. reperiuntur.



OBSERVATIO VII.

Potus Sanguinis Humani in Epilepsia.

Superstitiosi Ethnici, veteratoriis Dæmonum præstigiis infatuati, calidum recenter jugulati hominis sanguinem, tanquam singulare remedium, epilepticos bibere jusserunt, ut ex *Plin. lib. XXIIX. histor. natur. cap. I.* & *Cels. lib. III. de re medic. cap. XXIII.* elucescit. Satanicum hoc inventum, ad nostra usque tempora devolutum, etiam hoc seculo plurimos Christianos effascinavit, sed quàm infelicissimo successu detestandum istud auxilium usurpetur, historiæ sequentes abundè demonstrabunt.

Rustici opulenti Filius, viginti duorum annorum, ab ineunte ætate convulsionibus epilepticis obnoxius fuit, sic ut singulis septimanis ter aut quater paroxysmus rediret. Boni Parentes nullis sumptibus pepercerunt, quò Filius à miserando hoc malo liberari posset. Sed omnia incassum. Illos candidè monui, morbum hunc, quoniam à primis incunabulis Filium comprehenderit, vix eradicari. Tandem per pagos vagabundus Agyrta simplicibus Parentibus persuasit, ut Filius calentem decollati hominis sanguinem bibat: quo

facto

facto post aliquot dies calamitosus iste Iuvenis in maniam incidit, & vinculis ferreis coerceri debuit: duravit hic furor ultra mensem, simulque singulis diebus horrendo spectaculo paroxysmi epileptici multoties redierunt, tandem gravissima apoplexia miserrimum hunc Adolescentem è medio sustulit.

Sic *Lambertus Vitellius*, florentis ætatis adolescens, apud excellentissimum *Tulpium lib. I V. observat. medic. cap. IV.* posteaquam à frequentibus morbi comitialis insultibus plurimas molestias perpessus esset, tandem ultima experiri decrevit, & quamvis invitus ad execrandum humani sanguinis potum confugit, quo tremula manu, aversis oculis, pallida facie ac horrente universo corpore in obluctantes fauces violenter infuso, tantum abest, terribilem morbum inde imminutum fuisse, ut potius plurimum incrementi sumpserit, habueritque multo pejus se æger quàm ante Thyesteam hanc mensam: unde factum, quò præ augescentis mali vehementia corruerit præceps in ignem, exusto illic vehementer crure & excitata tam ingenti gangræna, ut necesse fuerit (quò cætera femoris pars tuta foret) emortuum crus serrula præcidere, quo remedio quantumvis ritè satis administrato, occidit tamen ipsum postridie ejus diei major morbi comitialis vehementia. In quod ipsum præsens vitæ periculum licet nequaquam inciderit adulta quædam Virgo, ejusdem jugulati juvenis sanguinem bibens, adeo tamen non recuperavit horrendo hoc remedio amissam valetudinem, ut potius in iisdem modo non & periculosioribus comitia-

lis morbi ſcopulis permanſerit, nolente DEO execrandum hoc piaculum ulteriore experimento confirmari.

Porrò quàm deteſtabilis ſit humani ſanguinis uſus, rarâ hiſtoriâ lectu dignâ confirmat *Johannes Langius* olim quinque Electorum Palatinorum Archiater, *lib. I. epiſt. med. LXXI.* Paſtor ſicarius & homicida duos filios habuit, quos ſibi in latrocinii ſubſidium aſcivit, aſt cum Pater juniorem ad tam ſæva obeunda facinora puſillanimum agnoviſſet, occiſo in ſylva *Othonis* tabellario, qui à recto itinere deviaverat, Pater panem ſanguine occiſi madidum Filio eſurienti edendum præbuerat, quo deguſtato tanquam Dæmonis œſtro percitus ſeſe ad quævis perpetranda flagitia longè audaciorem factum, dum de eo & Patre ac Fratre ſupplicium ſumeretur, ingenuè confeſſus eſt.



OBSERVATIO. IIX.
Empyema Thoracis.

POſteaquam Filius ſex annorum optimæ indolis & ſpei, per duos menſes empyemate thoracis laboraret, ac interim omnia in pejus ruerent, tandem & ego in conſilium vocor. Magni Patris illectus amore comparui, & præmiſſo examine obſervavi, Puerum iſtum pleuritide cum febre continua correptum fuiſſe, unde ſuppuratio in cavitate thoracis manifeſto ægri damno ſuccre-

ſuccrevit. Cum autem vidiſſem,pus ſubcruentum & cœnoſum per vulnus effluere, totumque corpus febre lenta conſumi, Venerando D. Parenti, ob promptam operam lata occaſione magnum, quem opera teſtabuntur, affectum pollicenti, eheu de reſtituenda Filii lectiſſimi valetudine ſpem præbere non potui, nam experientia & *Hippocrate* teſte *ſect. VII. aphor. XLIV.* ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥύῃ καὶ λευκὸν περιγίγνονται. ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται. *quicunque ſuppurati uruntur aut ſecantur, ſiquidem pus purum & album fluat, evadunt. Si vero ſubcruentum & cœnoſum ac graveolens, pereunt.* Interim ne induſtrium hunc puerum ſine remedio derelinquerem, ad promotionem puris & mitigationem febris lentæ ſequentem trageam ac electuarium præſcripſi. ℞. *Pulv. cachectic. Quercet.* ʒj. *ſpec. diarrhod. abbat.* ℈ij. *oculor. cancr. præp.* ʒij. *corn. cerv. philoſ. præp.* ʒj. *corall. rubr. præp.* ʒß. *ſacch. roſat. tabul.* ℥iiij. *F. s. a. tragea.* ℞. *Looch. de pulmon. vulp.* ℥ij. *conſerv. roſar. rubr. fl. betonic.* ā. ℥j. *rad. conſol. maj. cond.* ʒß. *ſpec. diatragac. frig.* ℈ij. *diarrhod. abb.* ℈j. *ſyr. farfar. jujub.* ā. *q. s. F. s. a. electuarium.* Ad conſervandum robur virium ſæpius *aquam cardiacam* in exercitatione mea *de apoplex.* §. *XI.* deſcriptam uſurpavit, cui margaritæ juſſu meo præparatæ admiſcebantur. Nihilominus proh dolor! morbus non deſiit, ſed tandem phthiſis pulmonum & febris hectica, lento ſerpentes gradu, elegantem iſtum puerum, cum acerbo Parentum luctu, rebus humanis exemerunt.

Monendi heic ſunt juniores Medici, in pleuritide adeo neceſſariam eſſe venæſectionem, ut illa nunquam omitti debeat, etiam in mulieribus men-



menstrua patientibus, gravidis, senibus & pueris. Toties autem sanguis mittendus, quoties inevitabilis necessitas extorserit, quæ sæpius adeo præceps est in pernici hoc morbo, ut grande sit paucarum horarum momentum, & quod vesperi facilè curasses, id in crepusculo plerumque videas immedicabile, ac cum certa desperatione conjunctum. Proinde si ullibi hîc saltem acri circumspectione opus est, ne præpostera omittendi sanguinis formido inducat prægnantes, puerperas ac pueros in periculosum pectoris suppuratum, à quo paucissimi liberantur. Quæ enim hæc dementia est? primùm metuis exile brachii vulnusculum & leve sanguinis dispendium, deinde verò incidis secure ipsum thoracem, & elicis inde non aliquot sanguinis uncias, verum integras pelves pure refertas, interdum per aliquot menses sed sæpius per plures annos. Vita hæc vada ô Medice! satius quippe est, prudenter vitam prorogare, quàm timidè mortem maturare, improvida namque sollicitudo sævitia est non lenitas, nedum securitas sed speciosa temeritas: secanda itaque vena in pleuritide cuicunque ætati & sexui, uti Amplissimus *Tulpius lib. II. observat. medic. cap. I.* nos severè adhortatur.



OBSER-



Observatio IX.

Calculus Renis Sinistri.



Ncilla vetula adhuc superstes (cujus in *River. contr. lib. XIV cap. I.* mentionem feci) in paroxysmum nephriticum acerbissimum incidit, nam terebra perforari ureterem sinistrum lamentata fuit: usurpatis *julepis, emulsionibus, clysteribus* & *linimentis*, quorum formulas *dicto loco* proposui, tandem ferè minimi digiti magnitudine & crassitie calculum cum urina excrevit, quem instar lapidis preciosi cum innumeris aliis lapillis asservat: hunc calculum dum in *Mercatoris Integerrimi* ædibus *nonnemo* conspexisset, imperiosus pernegavit, illum à rene expulsum esse, cum ureteres tantam capacitatem adipisci nequeant, ut talis calculus stupendus transire queat, hinc ex scrupulo hoc pluribus injecto diu hæsitarunt præclari Viri, an calculus esset renis sinistri? quam statim hoc Ancilla ex ore Heri rescivit, liberè edixit: dicant Alii, quicquid velint, egometipsa sub finem dolorum experta sum, juxta ductum ureteris sinistri calculum in vesicam cum impetu ruentem. Ut impactum hoc dubium solvatur, non opus est cum Clarissimo *Bauhino* Patre ex *lib. I. theatr. anatom. cap. XXIII.* respondere: *ureteres figura teretes palmum circiter longi, paleam latitudine imitantes, concavi, in mulieribus autem lati, recti & breves, hinc minore cum dolore calculos rejiciunt:* nam Magnus *Riolanus* in *animadversionibus*

nibus ad *hunc locum* ostendit, *ureteres pares esse & latitudine & progressu tam in viris quàm in mulieribus, nec majori facilitate calculos ejiciunt à renibus per ureteres, facilius à vesica foris extrudunt.* Insuper apud Anatomicos nostro hoc seculo celebratissimos *Thomam Bartholinum* Danum, *Nathanaelem Highmorum* Anglum, *Johannem Veslingium* Patavinum, & alios de hac ureterum sexus masculini & fœminini differentia, altum est silentium.

Quod Ancilla hæc calculum tantæ magnitudinis è rene sinistro reddiderit, ex dilatatione ureteris hoc accidisse, magnorum Virorum testimoniis fultus adhuc assero. *Bartholinus* Pater *lib. I. instit. anatom. cap. XIX.* in calculosis dissectis sæpe vidit cavitatem ureterum duos digitos admittere, imo æqualem intestinis fieri, magno *Patre* major *Filius* observavit. In calculosis, qui lapillos vi parturiunt, ureteris cavitatem ita dilatari, ut post obitum in apertis cadaveribus digiti crassitiem æquare visa fuerit, *Riolanus lib. II. encheirid. anatom. cap. XXIX.* attestatur. *Fernelius lib. VI. de part. morb. & symptom. cap. XII.* asserit, se in iis, qui jam pridem doloribus nephriticis assueti erant, usque adeo dilatatum ureterem comperisse, ut in eum major digitus immitti posset: Imo ipsemet *Bauhinus* Pater in dicto *Theatri sui* loco ureteres *in calculosis sæpe ad modum INTESTINI alicujus dilatari* affirmat, cur igitur lapillus minimi instar digiti non transiret? *Nicolaus Tulpius* illustris *Reip. Amsterodamensis* Consul & Archiater *lib. III. observat. medic. cap. VI.* testatur, se vidisse ureteres tam amplos ob calculos illac crebroque transeuntes, ut in se haud gravatè digitum humanum admiserint,

miserint, unde nequaquam dubitandum, quod propter hanc causam anus septuagenaria & uxor cujusdam Præfecti societatis *Indiæ Orientalis*, unico impetu trecentos amplius calculos minxerit, uti Idem *Lib. II. cap. XLVII.* refert. *Johannes Lindenius* Magni Nominis Professor Practicus *Lugduno-Batavus, lib. II. medic. physiol. cap. V. artic. X.* asserit, ureteres hoc beneficii à natura habere, ut transmisso calculo nunquam postea ad priorem angustiam contrahantur, inde *Ambsterodami*, cum sub umbone *Antonii* Patris in notitiam praxeos & hominum duceretur, vidit in mercatore calculum nuce myristica majorem, istâ viâ in vesicam pervasisse. *Dominicus Panarolus* Professor *Romanus pentecost. IV. observat. XXXI.* in suppressione urinæ mortuis & à se apertis ureteres ad exitum lapidis ita dilatatos bis observavit, ut digiti circumferentiam adæquarent. Sic *Gothofredus Mœbius*, Professor *Jenensis* excellentissimus, in Viro nobili lapillum dactyli nucleum æquantem, per eundem angiportum spacio septem mensium transeuntem conspexit, sequentibus, licet etiam satis magni essent, cum minore molestia exeuntibus, uti in *fundam. medic. physiol. cap. XVII.* perhibet.



OBSERVATIO X.

Lethargus.

VIR Nobilis quadraginta annorum, obesus, catarrhis obnoxius, sæpe floribus *Liberi Patris* conspersus, subitò in veternum

incidit, ita ut à Domesticis vix expergefieri potuerit. Vocatus magna cum difficultate illum è profundo somno excitavi, sed oculos propter inexplebilem dormiendi propensionem vix attollebat, quapropter jussi statim sequentem clysterem injicere. ℞. *rad. alth* ℥j *calam.* ℥ß. *herb. betonic. rutæ, pulegii, malvæ* ā *Mj. fl. lil. convall chamæm.* ā. *Pj sem anisi* ʒij. *croci metallor. in nodul. liq.* ʒß. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥x. *sol. elect. diacatholic.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ℥ß. *ol. rutæ, chamæm.* ā ℥j. *sal. gem.* ʒj. *F. clyster.* Hoc ejecto ob febrem continuam lentam venæsectio in brachio dextro instituta, & ad vesperam vesicatorium cervici admotum fuit. ℞. *pulver. cantharid. subtiliss.* ʒj. *euphorbii* ℈ß. *ferment. & acet. q. s. F. massa pro vesicatorio.* Pro cerebri affecti robore conservando seq. aquam præscripsi. ℞. *aq. epileptic. & cardiac. nostr.* ā. ℥ij. *cerasor. nigr.* ℥j. *julepi rosat. syr. citri*, ā. ℥ß. *Misce: de qua aliquoties plenum cochlear exhibitum fuit.* Formulam *aquæ epilepticæ* & *cardiacæ* reperies in *exercitat. de apoplex.* §. *X. & XI.* Sequenti balsamo tempora ac nares illinebantur. ℞. *ol. destill. angelic. rutæ, rorismar. salv. succini.* ā. ℈ß. *balsam. peruvian liq.* ʒj. *ol. nucistæ express. q. s. F. balsamum.* Secundo die sequentem potiunculam purgantem sumpsit. ℞. *elect. de succo rosar.* ℥ß *aq. betonic. q. s. F. potiuncula.* Tertio die, cum fere in eodem statu ægrotum observassem, clyster repetitus, & sub vesperam cucurbitulæ cum scarificatione scapulis admotæ fuerunt. Quarto die mane seq. pilulas præscripsi: ℞. *extr. cochiar. catholic.* ā. ℈ß. *castor. gr. ij. ol. salv. gt. j. F. pil. XI. deaur.* Quinto die ratiocinatio & memoria officium suum rursus subire ince-

inceperunt, nam ad interrogata mihi & adstantibus convenienter respondit.

Antequam ipsi valedicerem, monui, ut præservationis loco mane & vesperi seq. electuario vel tragea utatur. *℞. conserv. rosar. rubr. betonic. ā. ℥j. major. rad. cichor. cond. nuc. indic. cond. ā. ℥ß. spec. marchion. ʒß. diambræ. ℈ß. confect. alkerm. ℈j. mithrid. opt. ℈ij. syr. poeon. q. s. F. electuarium. ℞. spec. aromat. caryoph. diatrionsantal. ā. ℈ij. diamoschi dulcis, diambr. ā. ℈j. ol. cinnam. gt. iiij. sacch. opt. ℥iiij. F. s. a. tragea.* Porro vere & autumno venæsectionem instituere jussi, si prius corpus seq. sacculo purgatum fuerit. *℞. rad. poeon. cichor. ā. ʒij. herb. betonic hepatic nobil. ā. Mj. major. Pj. fol. senn. elect. ℥ij. agaric. rec. troch. ℥ß. rhabarb. elect. ʒij. sem. anisi. ʒj. fœnic. ʒß. macis. ℈j. incisa & contusa dentur cum sacculo ex sindone albo, cui mensura vini albi veteris affundatur, de cujus colatura mane alternis diebus cum regimine diatæ ℥vj. sumantur.*



OBSERVATIO XI.
Convulsio Rara.

Rusticus dives territorii *Austriaci* cum Vicino prolixas habuit rixas, unde à verbis ad verbera deventum fuit: hic lapillum pedibus proximum arripuit, & vulnus temporibus sinistris illius inflixit. Vocatus Chirurgus debitum fecit officium & convenientia applicavit remedia. Cum quinto die horrendæ convulsiones in oppo-

sita

ſita parte acceſſiſſent, ad ægrum inviſendum rogatus fui: declinante paroxyſmo Pharmacopolam juſſi ſequentem clyſterem injicere. ℞. *rad. alth.* ℥j. *pœoniæ*, ℥ß. *herb. betonic. ſalviæ, parietar. malvæ, ā. Mj. ſem. aniſi* ʒij. *coq. in colat.* ℥viij. *ſolve elect. hier. picr. Log.* ℥j. *mell. anthoſ.* ℥ij. *F. Clyſter.* ſæpius per os aliquot guttas *olei ſuccini* cum *aqua mea epileptica* ſumpſit, unde convulſiones remiſerunt, ſed non omnimodè ceſſarunt, nono enim die tanto cum impetu aggreſſæ ſunt Ægrum, ut illum è medio ſuſtulerint. De proxima harum convulſionum cauſa celebres Chirurgiæ Scriptores conſului, ſed ſalvo aliorum judicio ſolus dubium hoc egregiè ſolvit Germanorum Chirurgorum Anteſignanus, *Fabricius Hildanus centur. II. obſervat. IIX.* Oppoſitus, id eſt, partis ſanæ muſculus dum fungitur officio ſuo, maxillam ad ſe trahit, læſus vero quia interim quieſcit, fit ut maxilla verſus partem ſanam non ſine maximo dolore & vitæ diſcrimine trahatur, unde convulſio hæc rara originem ducit.



OBSERVATIO XII.

Ophthalmia.

MErcator quadraginta annorum ex *Francofortenſibus* nundinis autumnalibus domum rediens, in ipſo itinere defluxionem in utrumque oculum paſſus fuit: vocatus ad illum obſervavi inſignem oculorum rubedinem, cum

lacrymis,

lacrymis, dolore & calore continuis, insuper venulæ oculorum ita turgebant, ut adstantes vix cernere potuerit. Primo die sequentem potionem purgantem usurpavit. ℞. *folior. senn. elect.* ℥ß. *sem. anisi* ʒj. *cremor. tartari* ℈ij. *aq. euphras. cichor.* *ā.* *q. s. infunde per noctem, mane bulliant parum, in colat.* ℥iiij. *solve syrup. rof. sol. simpl.* ℥ß. *misce.* Secundo die larga venæsectio in brachio dextro instituta fuit: tertio die seq. potiuncula utebatur. ℞. *elect. de succo rosar.* ℥ß. *aq. euphras. q. s. Fiat potiuncula.* quarto die vena in brachio sinistro aperta erat: quinto vesicatorium cervici admotum & seq. collyrium præscriptum fuit. ℞. *aq. euphras rosar. albar.* *ā.* ℥iß. *trochisc. albi Rhas. s. o. tutiæ præp.* *ā.* ℈ß. *F. collyrium*, quo linteola imbuta & expressa tepidè mane & vesperi palpebris imponebantur, nec non guttulæ aliquot oculis instillabantur, unde rubedo & dolor imminuebantur. Sexto cucurbitulæ cum scarificatione scapulis admotæ fuerunt: septimo die sequens electuarium ad visus robur conservandum præscripsi. ℞. *conf. rosar. rubr.* ℥j. *euphras. betonic.* *ā.* ℥ß. *flor. rorismar.* ʒij. *rad. cichor. cond. roob ribium* *ā.* ʒvj. *pulver. herb. & flor. euphras.* ℈ij. *syr. pæon. q. s. F. electuarium, de quo pro lubitu quantitas nucis moschatæ sumatur.* Unde malum cessare & omnia symptomata mitigari inceperunt. Ad reliquias inflammationis oculorum tollendas usus erat unguento officinarum nostrarum ophthalmico, cujus formula sequens est & inventio magnis *Zuingeris* debetur. ℞. *Tutiæ præparat.* ℥j. *camphor.* ʒj. *ærugin. æris gr. xij. aq. rosar. butyr. recent.* *ā.* ʒvj. *F. s. a. unguentum.* Usus illius est, dimidij pisi magnitudinem canthis oculorum ophthalmia laboran-

borantium immittere. Toto morbi decurſu diætam convenientem obſervavit, qualem in *lib. II. River. contr. cap. IIX.* propoſui. Cum ſæpe contingat, quod ophthalmiæ ſint periodicæ & certis quibuſdam intervallis revertant, Ægrum monui, ut ſingulis menſibus circa novilunium cucurbitulas cum ſcarificatione ſcapulis affigere jubeat, elapſisque aliquot diebus octodecim de ſequentibus pilulis utatur. ℞. *extr. pilul. luc. major* ℈j. *aurear. ſine quibus* ā. ℈ß. *cochiar.* ℈j. *magiſt. radic. jalap.* ℈ß. *ol. fœnic. gt. vj. miſce diligenter, formentur pilulæ ex* ℈j. *numer. xviij. deaurentur & dentur in ſcatula.* Mane jejuno ſtomacho ſequentem trageam uſurpavit. ℞. *ſpec. de nuc. moſchata* ʒiß. *aromat. roſat. diatrionſantal. dianthos,* ā. ʒß. *herb. & flor. euphraſ.* ʒiß. *corall. rubr. præpar.* ʒß. *ol. fœnic. gt. xij. ſacch. opt.* ℥vj. *F. s. a. tragea.* Formula ſpecierum de nuce moſchata in officinis *Baſileenſibus* conſuetarum, quæ magno cum fructu pro cerebri & oculorum robore præſcribuntur, ſequens eſt. ℞. *Nuc. moſchat. opt.* ℥j. *cinnam. elect.* ℥ß. *garyophyll.* ʒij. *folior. major. roriſmar. betonic. lavendul.* ā. ʒij. *F. pulvis.* Tempore hoc opportuno autumnali vinum medicamentoſum ex muſto recenti paretur. ℞. *rad. enulæ, fœnic.* ā. ℥iij. *caryophyll.* ℥iß. *lign. ſaſſafr.* ℥ij. *herb. betonic. chelidon. major. euphraſ. hepatic. nobil.* ā. *Miij. ſcabioſ. verben. heder. terreſtr. centaur. min.* ā. *Mij. baccar. junip.* ℥ij. *conciſa in X L. menſuris muſti recentis infundantur, quod ſi deferbuerit, de illo cyathum plenum mane & apud prandium pro primo hauſtu evacuare conducit.*

Antequam huic obſervationi finem imponam, adhortandi ſunt juniores Medicinæ Doctores, ut in cura ophthalmiæ ſequentes animadverſio-

adversiones diligenter observent, quibus sedulò notatis periculosum hunc affectum feliciter exstirpabunt. I. in medela veræ ophthalmiæ venæsectio semper imperanda est, quantum enim utilitatis generosum hoc remedium afferat, historiâ lectu dignissimâ ostendit *Galenus* in *libro de curandi ratione per sanguinis missionem cap. XVI.* Ἐγὼ οὖν οἶδά ποτε παρακληθεὶς ὑπό τινος οἰκέτου ἐν προαστείῳ τῶν ῥωμαίων πόλεως ἀνδρὸς πλουσίου, θεάσασθαι τινὰ τῶν διοικούντων αὐτοῦ τὰ πράγματα, κινδυνεύοντα τυφλωθῆναι, τοῦτο γὰρ ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὀδυνώμενόν τε μεγάλως, καὶ τοῦτο πάσχοντος σχεδὸν ἡμερῶν κ· ἦν δ' ὁ τῆς οἰκείας τοῦ πλουσίου προεστάμενος ἰατρὸς Ἐρασιστράτειος, ἔργον πεποιημένος ἀπέχεσθαι φλεβοτομίας ἀεί. Θεασάμενος οὖν ἐγὼ τὸν πάσχοντα νεανίσκον, ὄντα πολύαιμον, ἀνελκώτους μὲν ἔτι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχοντα, φλεγμονὴν δὲ μεγίστην ἔχοντα, καὶ ῥεῦμα καὶ δασύτητα ἐν ἀμφοτέροις τοῖς βλεφάροις, ἐν θατέρῳ καὶ τραχύτητας ἤδη τινάς, ὑφ' ὧν ἐπισκοτούμενος ἔτι καὶ μᾶλλον ὀδύνετό τε καὶ παρωξύνετο τὴν φλεγμονὴν καὶ τὸ ῥεῦμα. Ταῦτα θεασάμενος ἐγὼ καὶ γνοὺς ἅπασαν ἣν ἐποιεῖτο τῆς θεραπείας ἀγωγὴν ὁ ἰατρὸς, αὐτὸν μὲν οὐκ ἔφη δύνασθαι, συνεχῶς εἰς τὸ προαστεῖον ἰέναι, χρήζειν δὲ τὸν ἄνθρωπον, ἄχρι τῶν τριῶν ἡμερῶν τοὐλάχιστον, οὐκ ἐκ μακρῶν διαλειμμάτων ὑπ' ἐμοῦ θεραπεύεσθαι. Δὸς οὖν αὐτὸν εἶπον τὰς τρεῖς ταύτας ἡμέρας, ἐμοὶ καὶ μὴν ἔφη παρακαλῶ τοῦτο, καὶ χάριν εἴσομαι, καὶ ἤδη πρὸς τὴν σὴν οἰκίαν ἄπαγε τὸν ἄνθρωπον. ἧκε τέ που ὥρας ε· καὶ ἀφῃρέθη τὴν πρώτην ἀφαίρεσιν εὐθέως αἵματος λίτρας γ· εἶτα ἄλλην μίαν ὥρας θ· ἐν αἷς ἀνακαλύψας μεγάλως ὑπηλείφθη κατὰ τὴν ὑστεραίαν ἑνὶ τῶν ἁπαλῶν κολλυρίων. *Ego olim rogatus sum à divite quopiam in suburbiis Romanæ Urbis, ut rerum suarum Oeconomum inviserem, cui cæcitatis imminebat periculum; hoc enim ille dicebat, magno dolore vexabatur idq́ diebus jam viginti. Divitis autem illius familiæ præfectus erat Medicus sectæ Erasistraeæ, anxiè semper venæsectionem refugiens. Ubi ergo laborante inspecto juvenem eum multi sanguinis cognovissem, ac oculos nondum ulceratos habere: cæterum inflammationem maximam fluxi.nemq́, tum in ambabus palpebris pilositatem, atq́ in altera quasdam etiam*

asperi-

aſperitates, à quibus oborta caligine ægrotus magis magisq́ dolebat, ac inflammatio fluxioq́ acerbabantur: his inquam conſpectis cognitaq́ omni ratione curationis, qua Medicus ille uſus fuerat, me quidem aſſiduè in ſuburbium venire poſſe negabam, cæterum ex uſu eſſe, ut triduum ut minimum hominem parvis temporum intervallis inſpicerem. Permitte igitur illum mihi, ſi videtur, tres hoſce dies, imo vero, inquit, ut facias obſecro, gratiamq́ habebo, quin jam hominem tecum ad ædes tuas adduc. Venit autem circiter horam quintam, ac prima protinus detractione tres ſanguinis libras exhauſi, deinde hora nona aliam, à quibus mirificè oculis apertis inunctus eſt poſtero die mollium collyriorum quopiam. hinc eſt, quod idem *Galenus* in præcedenti *cap. XIV.* dixerit: ὀδύνας τε πολλάκις ὀφθαλμῶν ἰσχυροτάτας ἐντὸς ὥρας μιᾶς ἔπαυσεν ἡ κατ' εὐθὺ φλεβοτομία τῆς ὠμιαίας καλουμένης φλεβὸς τεμνομένης. *dolores oculorum graviſſimos ſæpe intra unicam horam compeſcuit venæſectio è directo, quam humoralem vocant.* Imo in ophthalmia inveterata venam jugularem tutò aperiri poſſe eleganter demonſtrat *Fabricius Hildanus centur. IV. obſervat. XIII.*

II. Cum juxta auream *Hippocratis* ſententiam *ſect. VI. aphoriſm. XVII.* ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν, *ophthalmia laborantem alvi profluvio corripi, bonum* ſit, Medicum Naturæ miniſtrum oportet, in legitima ophthalmiæ cura convenientes ſupra indicatas purgationes ſemper præſcribere: hinc iterum *Galenus lib. XIII. method. medend. cap. XI.* accuratè monet: οὐ γὰρ ὁ λόγος μόνον ἀλλὰ καὶ ἡ πεῖρα δείκνυσιν, ἄλλην ἄλλῳ μορίῳ κένωσιν ἁρμόττουσαν· ἐθεάσω γοῦν ἐνίους τῶν ἀρξαμένων φλεγμαίνειν ὀφθαλμοὺς, αὐτῷ μόνῳ τῷ καθαρθῆναι διὰ τῆς κάτω γαστρὸς ἡμέρᾳ μιᾷ θεραπευθέντας. *non enim ratio ſolùm verum etiam uſus ipſe indicat, aliam alij parti vacuationem congruere, ſiquidem ex iis, quibus oculi inflammatione ten-*

tari

tari cœperant, nonnullos sola purgatione per alvum una die sanatos vidisti.

III. Præmissis convenientibus istis evacuationibus, repetita videlicet venæsectione & purgatione, demum ad topica & collyria transeundum, nam primis statim diebus si repellentia oculis admoveantur, illa humorem in oculos impetu ruentem, plerumque & dolorem ac inflammationem adaugent: hinc *Galenus comment. sect. VI. aphoris. XXXI.* τῶν ὀφθαλμικῶν ἰατρικῶν τινὰ τῶν τότε ὄντων ἐν Ῥώμῃ τὸν δοκιμώτατον, *quendam ex Ocularibus Medicis tum in urbe Roma spectatissimum* justis de causis reprehendit, cui ab initio statim κολλυρίῳ τῶν ἐμπλαστικῶν τε ἅμα καὶ ἀνωδύνων χρῆσθαι *collyrio meatus obducente & dolorem sedante utendum esse videbatur*, οἷα τότε διὰ ψιμμυθίου πεπλυμμένου καὶ ἀμύλου καὶ μήκωνος συντιθέμενα. μάλιστα γὰρ ἂν οὕτως ἀνασταλῆσθαι τὸ ἐπίῤῥεον ἤλπιζε διὰ τῶν ἐμπλαστικῶν. ναρκωθῆσθαι τε ἅμα διὰ τῶν ναρκωτικῶν τὴν αἴσθησιν. ἐγὼ δὲ ἐξ ἀρχῆς ὑπόπτως ἔσχηκα πρὸς τὴν τοιαύτην τῶν φαρμάκων, οὔτε γὰρ ἀναστέλλει τὰ σφοδρὰ τῶν ῥευμάτων, ἀλλ' ἐκκρίνεσθαι κωλύει. καὶ διὰ τοῦτο δριμέων μὲν ὄντων αὐτῶν, ἑλκοῦσθαι συμβαίνει τὸν κερατοειδῆ. πολλῶν δὲ διατείνεσθαί τε καὶ παροξύνεσθαι σφοδρῶς, ὥσπερ ῥηγνύμενον. ἐφ' οἷς εἰ μὴ καὶ μεγάλως εἴη ναρκωτικὸν τὸ φάρμακον, ἀφορήτους συμβαίνει εἶναι τὰς ὀδύνας. εἰ δ' οὕτως εἴη ναρκωτικὸν ὡς καὶ τῆς μεγίστης φλεγμονῆς ἀναισθήτους ἐργάζεσθαι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀναγκαῖόν ἐστιν ἅμα κακοῦσθαι τὴν ὀπτικὴν δύναμιν, ὡς μετὰ τὸ παύσασθαι τὴν ὀφθαλμίαν, ἢ παντελῶς ἀμυδρὸν, ἢ μηδ' ὅλως αὐτοὺς ὁρᾷν. ἅμα δ' ὑπολείπεσθαι τινα σκιῤῥώδη διάθεσιν ἐν τοῖς χιτῶσι δυσίατον. *quæ ex cerussa lota, amylo & papauere componuntur: sic enim maximè per emplastica* ocularius iste Medicus *sperabat inhibere, quod influebat & simul sensum torpescere per stupefactoria. Ego autem ab initio talia medicamenta suspecta habui, neq. enim vehementer fluxiones reprimunt, sed excerni impediunt, hinc si humores acres fuerint, corneam exulcerari contingit, si vero multi* absque acrimonia hu-

mores influant, *cornea extenditur ac vehementer irritatur, quasi illa rumperetur, è quibus nisi medicamentum fuerit maximè stupefaciens, intolerabiles dolores accidunt, sin autem fuerit adeo stupefaciens, ut inde oculi maximam inflammationem non sentiant, necesse est, simul facultatem visoriam damno affici, ut* ægroti *cessante inflammatione aut prorsus debiliter aut omnino nihil videant, simulq; prædurum aliquem affectum difficulter medicabilem in* oculorum *tunicis relinqui.* Et hæc de principalioribus in curanda ophthalmia nunquam intermittendis animadversionibus dicta sufficiant.



OBSERVATIO XIII.
Menstruorum rejectio per vomitum.

Religiosa Virgo *Franciscana* triginta annorum ab aliquo tempore imminutam menstruorum fluxionem observavit, quam omnimoda suppressio sequuta fuit, unde tandem sanguis per superiora exitum sibi acquisivit. Illa Superiorum permissu *Basileam* venit, & magno perculsa timore mihi retulit, se jam per quatuor menses stato menstruorum nunc omnino suppressorum tempore vomitum sanguineum pati. Monui illam cordato esse animo, affectum istum ultima nondum minari, præsertim si motus menstruorum ordinarius ope convenientium remediorum concilietur. Hinc ipsi sequentem sacculum purgantem præ-

tem præscripsi. ℞. *rad. bryon.* ℥ß. *rubiæ tinct.* ʒij. *herb. marrub. alb. artemis. chamædr. ã.* Mß. *summit. centaur. min. absinth. ã.* Pj. *folior. senn. elect.* ℥ijß. *agaric. rec. trochisc.* ℥ß. *sem. anisi* ʒij. *cremor. tartar.* ʒiij. *incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi veteris affundatur, de qua mane alternis diebus* ℥vj. *bibantur.* Usurpato hoc vino purgante & saphenâ utriusque pedis apertâ sequens balneum paretur. ℞. *rad. lil. albor. bryon. ã.* ℥iß. *herb.* 4. *emollient. puleg. meliss. matricar. ã.* Mij. *semin. lini* ℥iß. *incisa dentur pro balneo:* cum aliquoties hoc balneo usa fuisset, menstrua redierunt, & vomitus sanguineus cessavit.

Quemadmodum in religiosa hac Virgine per ventriculum menstrua suppressa transitum invenerunt, sic in aliis fœminis per alia loca exitum quæsiverunt, cùm enim vasa sanguinea universum corporis humani ambitum comitentur, jussa naturæ ab aggravantibus menstruis semetipsam exonerantis libenter exequuntur. Hinc mirum non est, quod *Bononiâ* ad *Joanniem Prevotium* consilii causa scriptum fuerit, *Religiosa Fœmina* menstrua suppressa per dentis alveum erupisse. Sic *Joannes Baptista Soncinus* mulierem novit, cui menses nunquam fluxerunt, sed imminente huic purgationi tempore consueto magna sanguinis copia è dextra tibia erupit aperta ulceris crusta, uti excellentissimus *Joannes Rhodius centur. III. observat. medic. L. & LI.* attestatur. Simile exemplum de serva *Hafniensi* proponit *Thomas Bartholinus centur. I. histor. anatom. rarior. XVI.* Ancilla Viri cujusdam apud nos Reverendi & Clarissimi operibus culinariis defatigata in pedum tumorem incidit, quo rupto & diligenter

expurgato ulcere convaluit: instante mensium periodo solita sponte sua tumor rursum disruptus sanguinem copiosè profudit, quod sæpius eodem modo contigit; sanguis enim, qui propter vasorum uterinorum obstructionem à consueta via fuit exclusus, aliam elegit, eamque ob tumores prægressos debilissimam: solet ita natura unius defectum alia ratione compensare præsertim in evacuatione fœminis ad salutem necessaria. Sic idem *Bartholinus* recordatur, *Dominicum Salam* Medicum *Patavinum* mulierem quandam plethoricam per sectionem salvatellæ curasse, cui ex angulo oculi menses fluebant. De menstruis suppressis per gingivas, mammas, pulmones, umbilicum & alias vias evacuatis exempla reperies apud *Thomam Bartholinum centur. V. histor. anatomic. XXXII. Joannem Schenckium lib. IV. observat. medic. p. m. 634. Ambrosium Pareum lib. XXIII. cap. LII. Zacutum Lusitanum lib. II. prax. medic. admirand. observat. C. & CI. Amatum Lusitanum centur. II. curation. medicinal. XXI. Ludovicum Mercatum lib. I. de mulier. affectib. cap. VII. Rembertum Dodonæum observat. medic. cap. XV. Philippum Salmuthum centur. II. observat. XIIX.*



OBSERVATIO XIV.

Humoris aquei regeneratio.

HUmor aqueus in anteriore oculi parte positus est, ut instar propugnaculi objectus crystallino splendorem externi luminis affatim

affatim irruentem obtundat, & tanquam conſpicilium rerum ſimulacra cryſtallino majora repræſentet: ſic videmus eos, qui in minutiſſimis rebus occupantur, ampullam vitream aquâ limpidiſſimâ plenam lumini objicere, ut radiorum à tergo collectione res minimas diſtinctius accuratiusque cernant, quod è judicio *Bartholiniano* maximus Orbis Anatomicus, *Joannes Riolanus lib. IV. anthropogr. cap. IV.* ante *nonneminem* monuit. *Andreas Laurentius* quondam Academiæ *Monſpelienſis* Cancellarius, *lib. XI. anatom. cap. VII.* humorem aqueum oculi viventem & ſpermaticam eſſe aſſerit. *Riolanus* dicto loco excrementum eſſe affirmat. *Nonnemo*, quid ſtatuendum ſit, diu ambiguit, poſteaquam autem apud *Riolanum* legerit, quod humor aqueus in pulli oculo punctione extractus intra quindecim dies regeneretur, humorem excrementitium eſſe fateri oportuit. Sic etiam in hominum oculis aqueum humorem renaſci oſtendit *Galenus lib. I. de ſymptom. cauſis cap. II.* παράδοξον μὲν τοι τι καὶ οὐκ εἰθισμένως γιγνόμενον ἐπὶ παιδὸς ἐθεασάμεθα, νυχθέντος γραφείῳ κατὰ τὴν κόρην. ἐκκρυέντος γὰρ εὐθέως τοῦ ὑδατώδους ὑγροῦ, καὶ ἡ κόρη μὲν ἐγένετο μικροτέρα, καὶ ὅλος δὲ ὁ κερατοειδὴς ἐφάνη ῥυσότερος. ἀλλ᾽ ὕστερον θεραπευόμενος ὀρθῶς ἔβλεψεν, ἀθροισθείσης δηλονότι κατὰ βραχὺ τῆς πρότερον ἐκρυείσης ὑγρότητος. *incredibile quiddam nec fieri vulgo ſolitum in puero vidimus, qui ſtilo in pupillæ loco fuerat compunctus, nam cum ſtatim effluxiſſet aquoſus humor, tum pupilla ipſa minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſa, cæterum ſanatus poſtea rectè vidit, collecto ſcilicet paulatim eo humore, qui effluxerat.* Ita teſtatur *Realdus Columbus* quondam Anatomicus *Romanus*, *lib. X. de re anatom.* ſe propriis oculis vidiſſe, humorem aqueũ ob vulnera prorſus effuſum nihilominus ſpacio tem-

temporis renatum, ita ut æger læso oculo deinceps cernere potuerit. *Franciscus Plazzonus* puero duodecim annorum medebatur, cui corneâ pertusâ humor aqueus oculi totus effluxerat, sed intra binos menses spontè sic reparatus fuit, ut oculi usus ipsi omnino ob reliquarum partium constitutionem humidam redditus fuerit, uti confirmat *Rhodius centur. I. observat. medic. LXXXII.*

Ego in *Nobilissimi Viri Filiola* similem casum observavi; hæc dum levibus de causis cum fratre altercaret, iste iracundia percitus cultellum scriptorium apprehendit, & sororis oculo vulnus infligit, unde humor aqueus effluxit. Vocatus præsentem Chirurgum jussi sequens collyrium anodynum & exsiccans tepidè sæpius admovere. *℞. aq. plantagin. ℥iiij. rosar. sanicul. euphras. ā. ℥j. trochisc. alb. Rhas. cum opio ℈ij. tutiæ prapar. ℈j. croci oriental. ℈ß. Misce:* hoc collyrium inflammationem compescuit, vulnus siccavit & sanavit, hinc post aliquot menses humor aqueus succrevit, nam visus sed debilior cum summo Parentum gaudio redivit. Quàm insignes autem in vulneribus istis oculorum sanandis collyria anodyna & exsiccantia vires possideant, eleganti historia comprobat *Tulpius lib. I. observat. medic. cap. XXX.* Sagitta decidens ex altiori loco tam latè pupillam cujusdam Equitis Filio discidit, ut non tantum aqua oculo inclusa effunderetur, sed quoque membrana uvea concideret, hebescente inde adeo visus acie, ut ne admotum candelæ lumen conspiceret: unde plurimùm consternari Parentes & frequentiùs ingemiscere Familiares, sed prostratos haud parum ereximus eorum

exemplo,

exemplo, quibus regenita aqua usuram amissi luminis restituisset, ac proinde animum non abjiciendum, sed ab aliis exemplum capiendum, nobis quod ex usu fiet. Quæ monita tantum valuere apud ægrum, ut nihil non remediorum admiserit, inter quæ primas tenuere collyria anodyna & exsiccantia, quibus adeo benedixit Deus, ut inducta vulneri cicatrice, oculi aqua deperdita iterum succreverit, & pulsa caligine gratissimum visus officium redierit, sed naturali imbecillior ob cicatricem uveæ à vulnere relictam apparuit.



OBSERVATIO XV.

Pleuritis Periodica.

SAcerdos in Diœcesi Episcopatus *Basileensis*, triginta annorum, singulis annis, verno tempore, pleuritidem periodicam passus fuit, ab hac illum quinquies sequente methodo liberavi. E' directo lateris affecti in brachio bis venæsectionem instituit, & latus dolens sequente linimento tepidè inunxit. ℞. *unguent. resumpt. & alth. Fernel. ā. ℥ß. ol. amygdal. dulc. q. s. F. linimentum.* post venæsectionem ad sanguinis ebullitionem & fluxionem sistendam sequentibus julepis usus fuit. ℞. *aq. papav. erratic. scabios. ā. ℥iij. syr. alth. Fern. granator. ā, ℥j. spir. sulphur. gt. vij. F. julepus pro duabus dosibus.* ℞. *aq. farfar. ℥iiij. acetos. ℥iij. scabios. ℥ij. syr. papav. erratic. ℥iß. spir. sulphur. gt. xij. F. julepus pro tribus dosibus.*

Quando natura incepit materiam peccantem per anacatharſin evacuare, tunc ægrotus rotulis, ſyrupis vel electuario ad lubitum uſus fuit, quorum formulas in *River. contract. lib. VII. cap. II.* annotavi: per totum morbi decurſum vino abſtinuit, & pro potu ordinario ſequens decoctum bibit. *℞. rad. acetoſ. fragar. liquir. raſ. ā. ℥ij. jujubar. recent. par. iiij. ſem. aniſi. ℥j. inciſa coquantur in aq. font. ad menſuras duas, & colatura detur.* Tandem cum ſexta & ultima vice pleuritis rediiſſet, illa uſurpatis fruſtra omnibus prædictis remediis in peripneumoniam tranſivit, & Ægrum è medio ſuſtulit, ita ut *Hippocratis aphoriſmus XI. ſect. VII.* verus ſit: ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη κακόν. *pleuritidi ſuperveniens peripneumonia, malum.*

Ut verum fatear, in proximam hujus pleuritidis periodicæ cauſam ſedulò diu inquiſivi, & Veterum ac Recentiorum ſcripta in lucem edita conſului, tandem apud magnum *Riolanum lib. III. anthropogr. cap. IIX.* legi, ſe vidiſſe, quòd illa corpora pleuriticis affectionibus ſæpiſſimè tententur, quorum vena ἄζυγος vel *ſine pari* unicam tantùm valvulam habet, nam in hacce vena ſine pari valvulas ab *Amato Luſitano centur. I. in ſchol. obſervat. LI.* indigitatas ſæpius obſervavit. Unde *Riolanus* miratur, quòd Clariſſimus *Bauhinus*, qui iſtas valvulas *nec in hominibus nec in brutis obſervare* potuit, ex ipſius *anthropographia* edoctus, in editione ſecunda *Theatri Anatomici* ſententiam non mutarit, (quod tamen in muſculorum abdominis deſcriptione, iisdem *Riolani*, ſed *ſuppreſſo* ejuſdem *nomine, adductis rationibus* præſtitit, uti *Riolanus* in animadverſionibus ſuis ad *Theatrum Bauhini* expreſsè refert,) & illum nominatim val-

tim valvularum ſine pari Propugnatorem adducens refellere non auſus fuerit, fortaſſe quoniam illas plurimis Germanis Medicinæ Studioſis privatim & publicè ideo demonſtraverat, ut Academiarum Germaniæ Profeſſoribus Anatomicis referrent, valvulas oſtio venæ ſine pari præfectas exſtare. Sed in ſitu & uſu valvularum *Riolanus* ab *Amato* diſſentit, nam hic illas foris intro ſpectare voluit, ut remeanti ſanguini obſiſterent, ille autem intro foras reduci demonſtravit, ut impetum affluentis ſanguinis ſuſtinerent, ac refluenti cederent. Quippe natura prævidens incommoda, quæ partibus ex plenitudine vaſorum evenire ſolent, elegans artificium excogitavit: etenim in partibus declivioribus & quæ continuo moventur, vaſorum orificiis membranulas tanquam repagula appoſuit, ut illis repentinus ſanguinis fluxus ſiſteretur. Quum igitur thorax ob reſpirationis neceſſitatem perpetuo moveatur, ne ſanguis in venam ſine pari affatim ruens pleuritidem inferret, benigna Parens ut huic incommodo proſpiceret, duas vel tres valvulas tanquam oſtiola vel repagula in caudice venæ ſine pari alternatim diſpoſuit: prima eſt in exortu venæ, duæ aliæ directè oppoſitæ in medio caudice ſunt affixæ, quæ affatim irruenti ſanguini reſiſtunt, ſed remeanti cedunt. Hoc *Riolanus* in animadverſionibus ad *theatrum anatomicum Bauhini* repetit, dicens: qui diligenter & accuratè principium venæ ſine pari emergentis à trunco cavæ inſpexerit, manifeſtè deprehendet duas valvulas ſurſum reflexas affatim irruenti ſanguini obſiſtere, nec ejus refluxum impedire: *Guernerus Rolfincius*

immortale illud Medicorum Decus & inocciduum Jenensis Academiæ Lumen, quamvis diu contrarium senserit, *meliora tamen edoctus* (ut ipse candido animo *lib. V. dissertat. anatomic. cap. XXIX.* profitetur) hanc rem commoda occasione pervestigandam suscepit, & valvulas illas adesse deprehendit, non tamen tam ingentes, quales sibi imaginatus est *Amatus*, neque respondent valvulis vasorum cordis, sed exiguæ sunt, ut plurimum tres in caudice venæ sine pari alternatim positæ: prima in exortu, duæ in caudice medio directè oppositæ affatim sanguini irruenti obsistunt, & remeanti cedunt.



OBSERVATIO XVI.
Phthisis Pulmonum.

DN. THOMAS LUTZLERUS, Canonicus *Delemontanus*, Viri Summi, DN. THOMÆ HENRICI, Suffraganei *Basileensis*, Theologi non saltem meo sed & aliorum elogio inter suos Primarii &c. Nepos ex Sorore, posteaquam consiliis & remediis exercitatorum Medicorum diu usus fuisset, phthisin ab ulcere pulmonum metuens, *Basileam* appulit, & auxilium meum enixè sollicitavit. Ex præmisso examine satis superque collegi, pulmones exulceratos esse: quippe molestissima tussis illum noctesque diesque afflixit, sputa purulenta apparuerunt, febris lenta noctu emicuit,

emicuit, univerſus corporis habitus maciem contraxit, ſudoribus matutinis corpus diffluxit, ſub veſperam pedes intumuerunt, & de quo inprimis conqueſtus fuerat, difficillime ac ſæpius cum metu ſuffocationis reſpiravit. Conſideratis ad artis trutinam iſtis ſymptomatibus prædixi ægroto, me de reſtituenda ſanitate proſpera magnam ſpem polliceri non poſſe, & cum methodus medendi longiorem temporis moram requirat, conſului, ut rurſus *Delemontum* peteret: ſed ille reſpondit, ego querulam valetudinem meam Tuo candori committam, & apud Avunculum meum in pago *Hegenheim* commorabor, ut ad arbitrium me inviſere poſſis. Unde ſequentia remedia præſcripſi. ℞. *ſpec. diairios ſimpl.* ʒiß. *diatrag. frig.* ʒß. *confect. alkerm.* ʒj. *fæcul. aronis* ʒß. *ol. aniſi gt.* viij. *ſacch. opt. aq. ſcabioſ. & farfar. ſolut.* ℥iiij. *F. ſ. a. rotulæ pro ægroti arbitratu uſurpandæ.* ℞. *radic. liquir. raſ.* ℥ß. *ireos florent.* ʒij. *jujubar. recent par.* viij. *herb. pulmonar. farfar. ſcabioſ.* ā. *Mj. inciſa coq. in aq. font. ad* ℔j. *circiter, decoctum coletur & clarificetur, additaq; ſacchar.* ℔ſ. *denuo coq. ad conſiſtentiam ſyrupi, cui admiſce pulmon. vulp. juxta normam* Zuelferi *præpar.* ℥j. *conſerv. roſar. rubr. fl. betonic.* ā. ʒvj. *ſpec. diair. ſimpl.* ʒij. *diatrag. frig.* ʒj. *diarrhod. abb.* ʒß. *ol. aniſi* ℈j. *F. looch ſive electuarium molle, de quo pro lubitu quantitatem nuciſtæ æger ſumat.* Pro potu ordinario ſequens decoctum bibit. ℞. *rad. chinæ rec.* ℥ß. *liquir. raſ.* ʒij. *herb. agrimon. ſcabioſ. farfar. veronic.* ā. *Mß. ſem. aniſi* ʒij. *coq. in aq. font. ad menſuras duas.* Poſteaquam iſta remedia per aliquot ſeptimanas uſurpaſſet, liberius reſpiravit & facilius materiam purulentam excrevit. Hinc meliora ſperavit Ægrotus. Verum ſub

finem

finem sextæ septimanæ fœtidissimum pus incredibili abundantia exscreare incepit, unde nequaquam dubitavi, vomicam in pulmonibus ruptam fuisse, tandem gravis lipothymia superveniens Ægrum è medio sustulit.



OBSERVATIO XVII.

Asthma calculosum.

JOhannes *Georgius Gisingerus*, Antiqui Monasterii *Bellelagiensis* Religiosus, & Cœnobii ad portam cœli Præpositus, Vir quinquagenario major, ob insignem cerebri frigidioris humiditatem, destillationibus ad thoracem maximè obnoxius, cùm à contumaci paroxysmo asthmatico vitæ periculum metueret, me *die IIX. Septembris A. S. M. DC. LXIX.* vocare jussit. Comparui & apud illum observavi gravem spirandi difficultatem cum stertore & sibilo conjunctam, hinc erecta saltem cervice respirare potuit. Ad vesperam Pharmacopola sequentem clysterem injecit. *℞. rad. bryoniæ ℥iß. herb. parietar. betonic. agrimon. malv. ā. Mj. flor. sambuci Pj. semin. leni ℥ß. coq. in aq. fontan. q. s. in colat. ℥x. solve mell. anthos. ℥ij. elect. hier. picr. Logad. ℥j. F. Clyster.* Mane sequentem potiunculam purgantem sumpsit: *℞. Mann. Calabr. elect. ℥iiß. vini alb. veter. q. s. F. potiuncula:* unde aliquoties dejecit. Ad pituitam viscidam dissolvendam & bronchia pulmonum obstructa aperienda sequen-

ſequentibus remediis uſus eſt. ℞. *aq. antiaſthmatic. ℥ij. elixir. vit. Matthioli, ℥j. cinnam. ʒiij. ſacch. roſat. tab. ℥ß. M. concedatur cochlear plenum pro arbitratu ægri.* ℞. *ſyr. alth. Fernelii, hyſſopi jujub. ā. ℥j. oxym. ſcyllitic. ℥ß. aq. cinnam. ʒij M. eodem modo uſurpetur.* ℞. *ſpec. diairios ſimpl. ʒiß. diambr. diamoſch. ā. ʒß. ol. aniſi gt. viij. ſacch. opt. aq. ſcabioſ. & cinnam ſolut. ℥iiij. F. s. a. rotulæ pro arbitrio ſumendæ.* Ex horum remediorum uſu pituitam viſcidam incredibili quantitate exſcreavit, & quod mirandum aliquot lapillos piſi magnitudine friabiles exſpuit. Cum melius ſe haberet & liberius reſpiraret, ſequens apozema præſcripſi. ℞. *rad. enulæ ℥ß. polypod. quern. liquir. raſ. ā. ʒij. herb. marrub. alb. capillor. Vener. hyſſopi, farfar. ſcabioſ. ā. Mj. flor. violar. Pj. jujubar. recent. ficuum recent. ſiliquar. recent. ā. ʒij. coq. in aq. fontan. q. s. in col. ℔iß. infund. per noctem folior. ſenn. elect. ℥ij. mane bull. par. in colat. ſolv. ſyr. fl. perſicor. ℥iij. F. s. a. apozema, de quo alternis diebus ℥iij. cum regimine diætæ magno cum levamine ſumpſit.* Inſuper præſervationis loco aliquoties cochlear plenum aquæ anti-aſthmaticæ uſurpavit, cujus compoſitionem in *exercitat. de paralyſi* §. II. propoſui.

Anno M. DC. LXXI. die XIIX. novembr. rediit graviſſimum hoc aſthma, à quo iiſdem remediis liberatus fuit, poſteaquam magna in copia pituitam glutinoſam ſubſequutis rurſum lapillis friabilibus exſcreaverit; ſed loco apozematis, à quo abhorruit, ſacculum purgantem deſideravit. ℞. *rad. enulæ ʒij. cort. tamar. ʒiß. herb. betonic. agrimon. veronic. pulmonar. ſcabioſ. farfar. ſummit. abſinth. ā. Pj. folior. ſenn. elect. ℥iiß. aganic. rec. trochiſc. ℥ß. ſem. fœnic. aniſi. ā. ʒj. inciſa & contuſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui*

menſura

mensura vini albi veteris affundatur, de cujus colatura mane alternis diebus cum regimine diætæ ℥vj. sumantur.

Tandem *Anno M. DC. LXXIV. die V. Januar.* difficillimum hoc asthma tanto cum impetu ægrum invasit, ut erecta cervice sedens vix ac ne vix respirare potuerit, hinc adhibitis frustra prædictis aliisq; remediis catarrhus suffocans bonum istum Præpositum è medio sustulit.

Miranda lapillorum à pulmonibus per tussim exscreatio in memoriam mihi revocavit historiam, quam olim apud *Galenum lib. IV. de loc. affect. cap. IX.* legi, digna certè, cùm *Galenus* non ad omniū manus perveniat, ut huic observationi annectatur. Βήττων τις ἐκ χρόνου πολλοῦ καὶ πτύων ὀλίγα καὶ γλίσχρα, χαλαζίων μικρῶν παραπλήσιον ἀνέβηξέ τι. καί μοι κομίσας ἔδειξεν αὐτό. καὶ πάλιν ἕτερον ὅμοιον οὐ μετὰ πολλὰς ἡμέρας. ἐδόκει δή μοι ξηραινόμενος ὁ γλίσχρος ἐκεῖνος χυμὸς, ὃν ἀνέπτυσεν ἔμπροσθεν, εἰς τοιαύτην σύστασιν ἔρχεσθαι. καὶ διὰ τοῦτ' αὐτῷ φάρμακα ἐδίδουν πίνειν ὁποῖα καὶ τοῖς ἀσθματικοῖς ἁρμόζει. καὶ πίνων γε αὐτὰ, ἐλάττονα μὲν ἔπτυεν τὰ χαλάζια, καὶ διὰ πλειόνων ἡμερῶν ἢ πρόσθεν, οὐ μὴν ἐπαύσατό γε πολλοῖς ἔτεσιν πάσχων οὕτως ἄχρι τῆς τελευτῆς. μεγέθει δ' ἦν τὰ χαλάζια τοῖς καλουμένοις ὀρόβοις ἴσα κατὰ τὸ πλεῖστον, ἔστι δ' ὅτε καὶ μείζω τούτων ὥσπερ γε καὶ μικρότερα. καὶ ἄλλους δέ τινας ὁμοίως ἐκείνῳ πτύοντας ἐθεασάμην, ἔτη συχνὰ ζήσαντας, ἐνίους μὲν ἄλλως ἀποθανόντας, ἐνίους δ' ἐκ ἀναπνευστικῶν ὀργάνων παθόντων, οὐ μὴν αἷμά γέ τις ἐκ τούτων ἔπτυσεν. *Quidam diuturna tussi vexatus & pauca eaq; viscida exspuens, quippiam grandinibus parvis haud absimile exscreavit, ac deferens illud mihi ostendit, atq; rursus non ita multo post aliud quoq; attulit. unde conjeci, lentum illum ac viscidum humorem, quem antea exspuere solebat, ad hujusmodi compagem pervenisse: quamobrem medicamentum ei in potu dedi, quod anhelosis auxiliatur: atq; ita factum est, ut minorem exspueret grandinem, atq; longiore quàm antea intervallo, neq; pluribus*

pluribus deinceps annis mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur. Cæterum grandines ipsæ magna ex parte ervi magnitudinem æquabant, quamvis interdum majores interdum minores esse viderentur, atq; alios quoq; similiter quidem spuere, sed nihilominus in multos annos vitam extendere vidimus: quorum alii aliam ob causam, alii vero ob instrumentorum respirationi inservientium affectum mortui sunt, quamvis nihil cruoris exscrearent.



OBSERVATIO XIIX.

Ranula sub Lingua.

NObilissimi Viri Filiolus octo annorum post exantlatas variolas ranulam sub lingua passus est: cum tumor mollis & laxus apparuisset, præmisso conveniente medicamento purgante, jussi ranulam scalpello aperire, unde materia albumini ovi è fracta recenter testa fluenti simillima promanavit. Vulnus sequenti gargarismo sanatum fuit. ℞. *aq. plantag. prunell. sanicul. ā.* ℥j. *mell. rosat.* ℥ß. F. *gargarismus.* In hujus affectus curatione diligenter animadvertendum est, demum ranulæ apertionem esse instituendam, quando manifesta tumoris suppurati indicia apparent, ut sequenti observatione *Thomas Bartholinus centur. I. histor. anatom.* LXXXIIX. eleganter ostendit. Juvenculæ Uxori Molitoris elapsa æstate post febrem epidemicam sub lingua congestus fuit per *μετάστασιν* tumor ovi columbini magnitudine rotundus, durus ru-

rus rubensque,ut dolore molesto lingua retrorsum protrusa & loquela impedita sit & deglutiendi facilitas. Consultus super hoc tumore Chirurgus *Martinus Sixtus* apertionem prudenter subterfugit, quia abscessus necdum maturus totusque rubens, si aperiatur, vel inflammationem vel cancrum minaretur. Interea per D. *Jacobum Suabium*, Practicum Urbis eruditum, corpus debita methodo fuit præparatum. Transactis hebdomadis sex ad nos venit,ut præsentibus Medicis Chirurgoque ranulæ huic consuleretur. Vocatus & ego vidi ranulam pallidiorem, digitisque utrinque appositis deprehendi suppuratam esse, materiamque in tunica crassa fluctuare, unde apertionem suasi. Levi scalpelli incisione rupta tunica, qua à venulis libera conspiciebatur,profluxit ilico ovi albumine simillima materia, quantum cochleari non ita angusto excipi poterat. Detumuit ranula, & paucis inde diebus in altero latere nova incisione pertusa parem ejusdem liquoris copiam egessit, sicque libertati suæ reddita lingua & loquelam & deglutitionem more solito promovit.



OBSERVATIO XIX.

Pterygium.

Filio novem annorum post superatas magno cum vitæ periculo variolas ex angulo oculi dextri majore membranula prodiit, quæ ex incuria incrementum sumpsit & pupillam ag-

lam aggressa visionem impedivit. Ad illum vocatus sequentem potiunculam purgantem præscripsi: ℞. *folior. senn. elect.* ℥ij. *sem. fœnic.* ʒß. *crem. tartar.* ℈ij. *aq. euphras. betonic.* ā. *q. s. infund. per noct. mane bull. par. in colat.* ℥ij. *solve syr. flor. persicor.* ℥ß. *F. potiuncula*: hæc cum levamine ægroti aliquoties repetita, & vesicatorium cervici appositum fuit: postea sequens collyrium usurpavit: ℞. *aq. rosar. albar. euphras.* ā. ʒvj. *fœnic. rutæ*, ā. ʒiij. *vitriol. alb.* ℈ß. *virid. æris, gr. v. F. collyrium.* hoc cum per duos menses usus fuisset, macula evanuit, & visus magno cum Parentum & ægri gaudio rediit.



OBSERVATIO XX.

Gravida menstruata.

Novi præclaræ indolis Fœminam, quæ prægnans ordinarium menstruorum fluxum sine noxa vidit, imo cùm aliquando infantem lactasset, statoque tempore menstrua fluxissent, nihilominus illa graviditatis immemor fœtum robustum enixa est. Unde elucescit effatum *Hippocratis* veritate perpetua non inniti, quando *sectione V. aphorism. LX.* ait: ἢν γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχέσῃ αἱ καθάρσιες πορεύονται, ἀδυύατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. *Si mulieri uterum gestanti purgationes prodeant, impossibile est, fœtum sanum esse.* Hinc rectè illum explicat *Galenus*, καὶ τὸ καθάρσιες πληθυντικῶς εἰρημένον καὶ τὸ πορεύονται μετ' αὐτοῦ λεγόμενον, ἐνδείκνυται μήτε ὀλίγον εἶναι τὸ ἐκκενούμενον αἷμα, μήθ' ἅπαξ ἀλλὰ καὶ πολλάκις καὶ πολύ. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς ὀλίγον ἐκ-

D κενοῦν,

χωλθὲν ἐπιφάινεται πολλάκις ἄνευ τοῦ πεπονθέναι τι τὸ ἔμβρυον. *& verbum* purgationes *numero plurali dictum*, *& ipſum verbum* prodeant, *adjunctum*, *non eſſe paucum illum*, *qui excernitur ſanguis*, *neq; ſemel ſed ſæpius & multum*: *qui enim ſemel aut bis parvus excernitur*, *in multis apparet abſq; hoc*, *quod fœtus patiatur*. Quapropter de nimio menſtruorum profluvio, quo & mater & fœtus magnam virium jacturam patitur, aphoriſmus interpretandus erit.

Simile exemplum obſervavit Magnus *Bartholinus centur. III. hiſtor. anatomicar. rarior. XIII.* in muliere juvencula Hafnienſi, quæ quoties uterum gerit, ordinarios menſium fluxus ſentit: fœtus inde nihil mali patiuntur, quos maſculos & robuſtos feliciter eniti ſolet. Hinc ex acerrimo Tanti Viri judicio aphoriſmus *Hippocrateus* non ſemper ſuccedit in plethoricis, quibus tantum ſupereſt ſanguinis, ut niſi ille vel venæſectione extrahatur, vel menſibus erumpentibus imminuatur, aut abortus periculum vel gravidæ exitium immineat; uterum enim pertranſire neceſſum non eſt, quum ex iis venis profluat, quæ utrinque in uteri cervicem inſeruntur. Cui volupe legat Viri Eruditiſſimi *Joh. Claudii de la Courvee* commentarium de nutritione fœtus in utero, ubi totus in eo eſt, ut demonſtret fœtum non ſanguine, ſed ſolo chylo in utero nutriri.



OBSER-



Observatio XXI.

Febris quartana.

Febris quartana Medicorum opprobrium auditur propter τὸ δυσκαταμάχητον, quoniam illa medicamentis difficulter expugnatur, hinc multivarias remediorum formulas Experientissimi Practici proponunt & extollunt. Ego quamdiu praxin medicam favente Divini Numinis aura exercui, inter plurima nullum sacculo purgante præstantius remedium observavi, quem illis diebus, quando paroxysmi non urgent, Ægroti usurpant, & postea in brachio sinistro venam aperiunt. Hinc Clarissimi *Mercatoris Filius* viginti annorum præterito anno, posteaquam sequente sacculo usus fuisset, & venam in brachio sinistro aperuisset, à febre quartana liber evasit. ℞. *rad. enulæ ℥ij. cort. tamanic. ℥iß. arantior. ℥ß. herb. betonic. agrimon. veronic. carduibened. summit. centaur. min. ā. Pj. folior. senn. elect. ℥ij. agaric. recent. trochisc. ℥ß. cremor tartari ℥iß. sem. anisi ℥j. coriand. præparat. ℥ß. incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui affundantur aquæ fontanæ ferventis ℔ij. vini albi mediocris ℔j. infusa stent per noctem, postea manè ℥vj. cum regimine diætæ usurpentur.*

Animus erat, aliquot remediorum formulas Generoso Dn. *Axelio de Taupadel*, *REGIS GALLIARUM Colonello*, &c. contra febrem quartanam præscriptas, huic observationi etiam annectere, illasque Universi Medicorum Ordinis candido judi-

cio ſubmittere, præſertim cùm à Viris fide dignis perceperim, remedia coram Nobiliſſima Uxore, Domina *Maria ab Erlach*, &c. à malevolis Cenſoribus tanto impetu ſugillata fuiſſe, ut etiam prædicta Matrona omnibus aliàs virtutibus polita, iniquis iſtis Cavillatoribus aurem præbuerit, & fidem nimia credendi facilitate adhibuerit. Cum autem Dn. *Henricus Wentzius* Pharmacopœus medicamenta paraviſſet, formulas ab ipſo ſeverè repetii, qui adhibita omni diligentia illas invenire non potuit, hinc ſanctè aſſeveravit, incuria domeſticorũ diſtractas eſſe, quod etiam præſentibus Viris candidis liberè atteſtatus eſt. Interim nequaquam dubitandum, Obtrectatores iſtos, antequam in meas formulas virgulam cenſoriam ſtrinxerint, illas procul dubio prius inſpexiſſe. Quapropter velo pallidæ invidiæ tandem remoto in publicam lucem prodeant tetrici Cenſores iſti, & Erudito Orbi demonſtrent, meam medendi methodum, quam cum prædicto Dn. *Colonello* inſtitui, artis noſtræ principiis adverſari.



OBSERVATIO XXII.

Caſus Medicinalis & Reſponſum De Calculis Renum.

VIr inclytâ apud nos famâ conſpicuus ante aliquot annos me inviſit, & de ſymptomatibus variis conqueſtus fuit: præmiſſo examine illi indigitavi, verendum eſſe, ne calculi

in re-

in renibus lateant; ſed ille propter imperioſam *nonnullorum* in arte dictaturam diu anxius & dubius, certam ſententiæ meæ fidem adhibere noluit, hinc aliquoties me rogavit, ut enarrata ſymptomata in formam caſus medicinalis redigerem, quem Viro Summo, *Guernero Rolfincio* Profeſſori & Practico *Jenenſi* primario transmittere, ipſiusq; reſponſum præſtolari velit. Petitioni amicæ toties repetitæ morem geſſi, & indicata ſymptomata in ſubſequente caſu delineavi.

Caſus Medicinalis.

CLariſſimus Vir triginta ſeptem annos natus, temperamento medio præditus, boni habitus, venis amplis & plenis, jam per multos annos de moleſto renum ac lumborum dolore conqueritur, qui inclinato corpore per ſpinam aſcendit. Exacerbatur iſte dolor circa easdem partes, ſi motu vehementiore corpus exerceat, aut equo inſideat. Dolor juxta regionem renum eſt divellens & corrodens, qui per tres vel quatuor aut plures horas durat, præſertim dum equo iter facit, quo etiam tempore urinam turbidam, rubram & arenoſam excernit: ſi poſtea ſupinus jacet aut cibum aſſumit, dolor remittit: quando dein rurſus equum aſcendit, dolor recrudeſcit, ſimilisque urina per octo dies continuos obſervatur. De tali dolore quotidianas movet querelas Æger, licet nulla antecedat corporis exercitatio, ſed non tam fortis eſt, nec urina tam rubra & arenoſa ſed ſaltem turbida, arenulis tincta & ad inſtar cereviſiæ benè defeca-

tæ conſpicitur, quæ ſæpius ſponte remittit,& tunc pellucida apparet. Quam ſtatim prandium aſſumpſit, dolor remittit, ſed veſperi ad horam quintam vel ſextam revenit,tamque diu durat, donec cœna finita ſit. Perſeverante dolore aliquando unus,aliquando teſticuli ambo dimidia ex parte retrahuntur,ſed magis dexter quàm ſiniſter,ibique ſine nauſea & vomitu manet, donec dolor ceſſaverit, qui etiam inſtar colicæ ſpuriæ ad umbilicum usque extenditur. Quando Æger poculum hilaritatis cum amicis aſſumit,dolor eſt acerbior,& ad inguina pedesque extenditur. Acerbiſſimus dolor urget, dum longius iter ſuſcipit, hinc aliquando urinam cruentam reddit, ſic ut linteola intincta colorem ſanguineum referant. Si propter graviores cauſas urinam ſpontè ſupprimat, ſine mora dolorem in renibus ſentit; quàm ſtatim autem urinam reddit, ille etiam mox ceſſat. Arenulas absque dolore excernit. Tandem ſi Æger diutius inſiſtat pedibus, dolor ad lumbos extenditur. Quod Ægroti reliquam corporis diſpoſitionem ſpectat, ille benè appetit,cibos aſſumptos ventriculus retinet, nec vigilias nec ſitim patitur, mane è lecto ſurgens, uti & ſæpe veſperi, alvum reddit, ſed excrementa fluida ſunt. Propter hæc moleſtiſſima ſymptomata Ægrotus conſilium medicum efflagitat, & cum magno deſiderio exſpectat.



Viri Summi
GVERNERI ROLFINCI
Responsum.

AFfectus, ægrum qui affligit, est dolor nephriticus, fomitem habens calculum renum. Hunc adesse manifestum faciunt signa pathognomica, decenti serie in historia proposita. An unus adsit calculus an plures? dubitari potest. Verisimile est adesse calculos majusculos, qui ob molem in ureterem perrumpere non possunt, adesse etiam minores non siliceæ duritiei sed sabulosos, qui arenularum in morem secedunt.

Pars affecta an unus sit ren & quisnam, an dexter an sinister, an uterque? difficile fuit ab initio artificiosa conjectura consequi, inde molestus renum & lumborum dolor in genere tantum in historia appellatur; in progressu contextus tamen scribitur, post equitationem in utroque rene dolorem persentiri: verisimile autem illum affici, in quo tristis sensio magis advertitur. Accusabimus unum solum renem. Verendum est, ne unus magnus vel plures calculi hæreant in parenchymate seu carne renum sub membrana. Talis occurrebat in apertis exuviis Illustris *Vippachii*, habens apicem acutum incurvum, pluribus minutis lapillis in pelui & prope carunculas stipatum, qui modò integri modò resoluti in arenulas excernebantur. Tales parvuli sine dubio in pelvis aliquo angulo pro-

pe carunculas in noſtro Ægro etiam deliteſcunt. Veſicæ calculum non admittimus, licet arenulæ per illam tranſeant.

Cauſæ coagmenti hujus lapidoſi ſunt collectiones mucilaginoſæ & tartareæ, cum alimentario ſanguine per emulgentes arterias ex arteria magna ad renes delatæ: eos pellunt partes robuſtiores & renes debiliores recipiunt: ad concretionem eas promovet lapidifica renum diſpoſitio. Curioſis relinquimus ſollicitas meditationes de acidis vel ſolis vel cum alcaliis renum ſuccis permiſtis.

Symptomatum ratio digna eſt, quæ expendatur. Dolorifica triſtis ſenſio oritur à violento continuum membranoſarum partium ſolvente objecto. Quod inclinato corpore dolor per ſpinam aſcendat, adſcribendum eſt conſenſui membranarum, quæ à lapillis tenſæ offenduntur. Exacerbatio doloris à motu vehementiore & præcipue in equitatione, ita ut dolor videatur divellens & corrodens, debetur læſioni earundem membranarum & quidem in utroque rene. Propter ſingularem renum conſenſum [heic videt *nonnemo*, Summum iſtum Virum meam de renum ſympathia ſive conſenſu ſingulari ſententiam etiam approbare, de qua ſuperius in *obſervatione ſecunda* diſſerui.] ſpero unum renem ſolùm per eſſentiam eſſe affectum, alterum compati. Cum ſabulum tranſit ex ſubſtantia & carunculis in cavitatem & pelvim, vel ab hac ad ureteres ſe movet, & tenſione continuum ſolvit, ἐξόδῳ & motu hoc dolor fit acutus & lancinans. Urina turbida & arenoſa comitatur hunc dolorem poſt equitationem interdum per octo

dies continuos, ob ſabuli & limoſarum cruditatum permiſtionem. Quemadmodum dolor à motu exacerbatur, ita quiete ſopitur, ſi raro exemplo ſupinus decumbat vel cibum aſſumat Æger: nam aliàs ſumpto cibo exacerbatur dolor à calculo, renes enim diſtento ventriculo & inteſtinis comprimuntur, ſicque dolor augetur, evacuato autem cibo mitigatur. Heic contrarium accidit: forſan calore ciborum fomentatur dolor renum, eorumq; moleſtus ſenſus mitigatur: non uno ſemper Natura incedit tramite. Dolor nunquam in totum remittit, ſed de eo continuè conqueritur Æger, licet nulla vehemens corporis adſit exercitatio, quia calculus ſemper præſens eſt. Tam fortis tamen haud eſt, nec urina tam rubra & arenoſa, eſt ſaltem turbida, arenulis tincta, & ad inſtar cereviſiæ benè defæcatæ apparet, quæ tamen ſæpius ſponte remittit & tunc pellucida videtur: remittentibus enim cauſis effectus mitior evadit. Cur quamprimum prandium aſſumpſit, dolor remittat? ſed veſperi ad horam quintam vel ſextam redeat, tamque diu duret? donec cœna finita ſit, difficile eſt indagatu. Retractio teſticulorum, modò unius, modò amborum refertur ad diſtentionem membranarum & muſculorum cremaſterum irritationem. Cur altius dexter quàm ſiniſter retrahitur? Forte hic teſtis eſt propinquior reni, qui lapillis plenus eſt. Nauſea & vomitus familiaria moto calculo ſymptomata cur abſint, etiam præſente retractione teſticulorum, mirum: referri poteſt ad robur ventriculi quoad retentricem facultatem. Colicæ ſimile quid adeſt ad umbilicum extenſum ob

membranarum consensum. Quando æger poculum hilaritatis assumit cum amicis, cur dolor est acerbior,& ad inguina pedesque excernitur? forte à potu ad vesicam inclinante dum vectigal in transitu renes avidiùs exigunt, hi distenti comprimunt lumbarem musculum, qui appellatur ψόας & ob nervorum plurimorum pręsentiam νευρόμητρα: inde calamitas nova. Urina cruenta sequitur longum iter, vasa enim renum atteruntur. Suppressionem urinæ voluntariam studio affectatam excipit dolor, impeditur enim successio exitus in renibus. Excretio arenularum indolens est, sunt enim exiles, neque ulla inde nec in renibus nec in ureterum in vesicam obliquo ingressu aut in urethram transitu remora. In erecto corporis statu diuturno quod dolor ad lumbos extendatur, rationem habet in musculorum lumbarium tensione & inde orta nervorum compressione. Quod naturales & animales functiones bene habeant, argumentum est Divinæ bonitatis & naturæ benè moratæ.

De Eventu Æger absque dubio erit sollicitus, omnimoda affectus ablatio non promittitur, sed mitigatio incrementi & dulcedo vitæ calamitosæ sequenti methodo pollicetur.

Curatio instituenda est methodica, nulla enim spes affulget beneficio solius naturæ restitutionem in integrum obtineri: est quidem hæc medicatrix morborum sed non omnium & omni tempore, consiliis opus erit & auxiliis, deferenda nunquam statio, etiamque incurabilibus manus admovenda est. Arenularum excretio adjuvanda, majores lapilli

pilli, qui integri per ordinarios meatus educi non possunt, lapidem frangentibus modestè sollicitandi, utque per ureteres, vesicam & urethram egrediantur, laxantibus via ipsis paranda; neque his solis insistendum, sed tota massa sanguinea à fæculentis & tartareis succis mundanda, intemperies & infirmitates viscerum tales generantium è medio tollendæ, justusque virium tonus conservandus est.

Materiæ ex Chirurgico fonte nullum heic videntur habere locum, nisi transpositionem lapillorum molientes de uno loco in alium, si forte impacti vel circa pelvim, vel in ureteribus tristem sensionem excitent. Consistit hæc in motu aliquo lumborum super osse sacro, flexione & extensione dorsi, vel cucurbitulæ ureterum regioni applicatione cum multa flamma.

Purgantibus heic non opus esse videtur, cum Æger alvum habeat satis lubricam & officio suo, mane cùm è lecto surgit, uti & sæpe vesperi, fluidis excrementis respondentem: tentari tamen verno & autumnali tempore posset generosior aliqua evacuatio, secundam & tertiam regionem stimulans. Doloribus urgentibus non abhorreat Ægrotus à clysteribus laxantibus & dolores mitigantibus. Diuretica validiora non conveniunt, abstergunt enim mucum, qui lapillis adhærere & sensiles meatus adversus illorum asperitatem munire & defendere novit. Econtra commendantur, quæ vias urinarias laxandi & leniendi vi prædita sunt: tale est decoctum cicerum rubrorum, malvæ, altheæ, in jure pingui cum multo butyro paratum,

etiam

etiam oleum amygdalarum dulcium recenter expressum cum vino albo calefacto haustum prodest. Aqua è succo betulæ destillata magni æstimatur. Remedia plurima lapidem frangentia vulgatæ sunt notitiæ. commendatur à me inprimis essentia lithontriptica transmissa, sumantur guttulæ sedecim in jure carnis cum radicibus vulgaris petroselini coctæ hora matutina nona: deinde commendatam habeat Æger transmissam misturam nephriticam, sumantur guttulæ viginti in haustulo vini tenuis albi hora pomeridiana quarta. Principio prandii in cochleari jusculi de missa tinctura guttulæ quatuor sumantur, nec non in alio cochleari jusculi per vices loco essentiæ lithontripticæ assumatur de sale nephritico transmisso, quantum cultelli cuspis capere potest. Externa ut insessus & inunctiones non negligenda sunt.

Diæta justis modis temperetur. Victus sit mediocris, consistens in cibis liquidioribus & solidioribus boni succi & facilis concoctionis, spirituosæ & carnosæ substantiæ effluvium reparantibus & facilitatem alvi conservantibus. Carnes bovinæ juniores vel gallinarum coquantur cum radicibus raphani, cujus esus semper magni æstimatus in *Apollinis Delphici* templo & aliis cibis prælatus, inde senserunt aliquot ægri utilitatem, proderit etiam nostro, sed observanda est cautela, ne nimia coctione salia pereant volatilia. Dictum sibi putet Æger: *non repleri alimentis, sed sobriè vivere.* Cibi aromatum ubertate non luxurient. Pruna dulcia vulgaria & brigniola cocta, nec non turiones asparagi & lupuli primo vere prosunt. Excludatur à mensa panis

panis confectus ex frumento vel tritico eorumque farina molarem expertus lapidem friabilem, hic enim à fermento ventriculi acido resolutus lapidosum seminarium in renes deponere potest. Aceti & inprimis rubi idæi baccis concinnati in edomando coagmento lapidoso vis magna apparet, uti enim in magno sic etiam in parvo mundo sabulum atterit. A' vinis generosis sibi temperet Æger, quippe solent generosum & subtilem tartarum renibus communicare, econtra eligat vinum tenue parùm aquæ ferens. E' culina relegentur aquæ tophaceæ & per plumbeos canales ductæ. Somni & vigiliarum justa adsit vicissitudo, si noctu somnus desit, die illius defectus resarciatur. Motus corporis cùm nocere observetur, caveatur nimius in rheda vel equo, non tamen planè omittatur, moderatus enim prodest, nam arenulis, quæ ocio facilè subsistunt, exturbandis conducit. Urinæ excretio non retardetur, violenta retentio à conversatione nonnunquam injuncta vel à pudore imperata caveatur. Solitam alvi pronitatem debitis mediis Æger conservet, & Venereis desideriis dicam scribat.

OBSERVATIO XXIII.

Convulsio comitialis.

R. P. *Ignatius Brunnerus* Asceta *Lücellensis*, ex mandato Reverendissimi & Amplissimi Domini BERNHARDINI Abbatis *Lücellensis*

Lucellensis & *Maulbrunnensis*, REGIS GALLIARUM Consiliarii, Domini sui gratiosi, Fautoris quondam mei summi, superioribus annis ad me venit, & propter diversos comitialis morbi insultus operam meam sollicitavit. Fomitem harum convulsionum epilepticarum in ventriculo latere inde persuasus fui, quoniam æger per intervalla dolorem & arrosionē in stomacho sensit, & de appetitu prostrato ac concoctione debilitata conquestus fuit. Purgavi illum ter cum *extracti catholici scrupulo uno:* dein jussi, ut sequentes pilulas usurparet. *℞. extr. catholic. ℈j. cocbiar. ℈ß. aurear ℈j. helleb. nigr. ℈ß. ol. still. major. gt. iiij. misc. dilig. form. pil. ex ℈j. num. xviij. de aur. & conspèrg. pulv. cinnamomi.* Sumpsit singulis mensibus octodecim mane cum regimine diætæ, unde æger convaluit, & per plures annos à convulsionibus epilepticis liber fuit. In hac cura *Galenum* sequutus sum, qui etiam per *aloetica* remedia motus convulsivos à ventriculo oriundos sustulit, quemadmodum eleganti historia *lib. V. de loc. affect. cap. V.* confirmat, νεανίσκος τις ἡλίσκετο τῷ τῆς ἐπιληψίας πάθει γραμματικὸς, ἡνίκα μάλιστα σφοδρότερον ἐδίδασκεν, ἢ ἐφρόντισεν ἢ ἐπὶ πλεῖον ἠσίτησεν, ἢ ἐθυμώθη. τούτῳ τὸ στόμα τῆς κοιλίας ὑπενόησα πάσχειν αἰσθητικώτερον ὑπάρχον, ἐφ' ᾧ κατὰ συμπάθειαν τὸν ἐγκέφαλον, ὅλον τὸ σῶμα κραδαίνειν σπασμωδῶς. ἐκέλευσα τοιγαροῦν ἐπιπεψίας μόνης αὐτὸν ἀκριβοῦς προνοεῖσθαι. τρίτης δὲ ὥρας ἢ τετάρτης ἄρτον ἐπιμελῶς ἐσκευασμένον προσφέρεσθαι, μόνον μὲν εἰ ἄδιψος εἴη, δίψης δὲ αἰσθανόμενον, ἐξ οἴνου κεκραμμένου τῶν ἠρέμα στυφόντων καὶ λευκῶν, οὗτοι γὰρ καὶ τονοῦσι τὴν γαστέρα καὶ τὴν κεφαλὴν οὐ πλήττουσιν, ὥσπερ οἱ σφοδροί. ὡς δὲ τοῦτ' αὐτῷ πράττοντι συνέβαινε μηδὲν πάσχειν, ἀκριβῆ τε γνῶσιν εἴχομεν ὧν ἐστοχαζόμην ἔμπροσθεν. ἐδίδουν τ' αὐτῷ τὸ διὰ τῆς ἀλόης πικρῦ φαρμάκου δὶς που καὶ τρὶς ἑκάστου ἔτους, ἐπειδὴ καθαίρει τε τῶν περιττωμάτων ὅλην τὴν γαστέρα καὶ ῥώννυσι πρὸς τὰς οἰκείας ἐνεργείας. ἔτεσιν οὗτος ὁ ἀνὴρ οἷς ἐπεβίω, πλείοσι τῶν

εἴκοσι,

εἴκοσι, ὑγιαίνων ἀμέμπτως διετέλεσεν. Grammaticus quidam Juvenis, quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, morbo comitiali corripiebatur: perpendi equidem in hoc os ventriculi, utpote quod facilè sentiret, affectum esse, ac deinde per consensum & totum cerebrum & corpus universum convulsione concuti, cui probam concoctionem accuratè procurare, ac tertia vel quarta hora panem optime præparatum exhibere jussi, atq; hunc quidem solum, si non sitiret, si vero siti cruciaretur, ex vino madidum & quidem albo atq; modicè stringente, nam hujusmodi vinum, ut ventriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent ea, quæ vehementes vires obtinent. Itaq; cum hac victus ratione utens non ut ante afficeretur, exactam jam notitiam me habere arbitratus sum, eorum quæ prius sola conjectura consequebar. Hinc quolibet anno bis aut etiam ter medicamentum amarum ex aloe ei exhibui, totum enim ventrem à recrementis purgat, & ad proprias actiones corroborat. Sic Vir ille viginti & amplius annis, quibus postea superstes mansit, integra inculpataq; valetudine vitam exegit.

Quemadmodum in hoc Asceta *Lucellensi* & Juvene *Grammatico* convulsiones epilepticæ ex ventriculo originem duxerunt, ita apud alios è partibus aliis ortum traxêre. *Thomas Bartholinus centur. III. histor. XX.* accusat hepar in Pastore *Hafniensi*, nam à dextro hypochondrio, ut hepatis est sedes, invasit illum calor per musculos externos sensim adscendens cum partium per quas transit stupore, ad musculos thoracis ejusdem lateris, ad brachium dextrum, ad dextram faciei partem & collum, ubi pedem quasi figebat stupor, faciei musculi ad dextrum latus leviter convellebantur, eodemque modo paroxysmus iste sæpius recurrebat, ut gravioris convulsionis

nis metus ingens ægro sit ortus. Sed sectâ venâ, injectis clysteribus, exhibitis pulveribus & aquis anti-epilepticis operâ D. *Mothi* Medici felicissimi intermiserunt paroxysmi,

atq; metus omnes & inexorabile fatum
subjectum pedibus strepitusq; Acherontis avari.

Sic fomitem mali caduci aliquando sub latere in liene advertit *Nicolaus Tulpius lib. I. observat. medic. cap. IX.* Lien à turgido atræ bilis fermento tumidus diffudit ilico ex se vapores cerebro tam inimicos, ut Juvenis Patritius quidam protinus concideret in vehementissimos morbi comitialis insultus, excitatos non tantùm à causa interna sed subinde quoque ab externa; nam pressa vel solo digito regione lienis contrahebantur ilico omnes nervi, & sequebatur confestim miserabilis universalis corporis distentio, lædens iteratis suis circuitibus usque adeo mentem jam aliquoties labefactatam & imprimis vim ipsius imaginatricem, ut crederet se nescio quem regem, distribueretque non minus largiter qualiacunque munera, imò integras regiones, ac si revera rerum potitus esset: insidente ipsi hac conceptæ Majestatis opinione adeò profundè, ut summè excandesceret, corripereturque gravissima epilepsia, si quis majestatis oblitus ipsum compellasset nomine usitato, ceu inferius dignitate sua ratus alio quàm regio insigniri titulo: impositis interim familiæ suæ amplissimæ promiscuis quorumcumque animalium nominibus, quæ semel data tam firmiter memoriæ mandavit, ut nunquam deinceps exciderint, licet quis peregrè abfuisset: quòd si vero quis loco ursi, felis, canis, draconis,

draconis, aut leopardi desideraret proprium sibi nomen restitui, eum reddebat ilico voti compotem, modò donaretur aliquo munere, qua facilitate ab amicis observata redemêre plerique omnes ignominiosa illa nomina, eaque donis illorum imposita retinuit invicem tam strictè, ut etiam post plures menses recordaretur nominatim, quod quisq; munus vitandæ ignominiæ ergo obtulisset.



OBSERVATIO XXIV.

Puella octennis menstruata.

PRæclarissimi Mercatoris *Basileensis* Filia octennis, facie pallida & corpore macilento, fluxum sanguinis inopinatè passa fuit. Parentes consternati me vocarunt, indicavi illis, fluxum hunc sanguinis menstruum esse, & serum acre vasa uterina aperuisse: duravit ista fluxio per tres dies & postea sponte cessavit. Parentes perterrefactos similibus aliorum Medicorum observationibus erexi. Sic *Fernelius* & *Gesnerus* puellam eodem anno octavo ætatis menstruatam observarunt, imò *Hercules Saxonia lib. IV. practic. medic. cap. XXIII.* refert, se novisse puellam, cui menstrua quinto ætatis anno apparuerunt, & ordinatim singulis mensibus modicè fluxerunt.



OBSERVATIO XXV.

Ramus venæ arterioſæ rejectus.

Viri Ampliſſimi DN. JACOBI BRANDMYLLERI in Academia noſtra Jurium Anteceſſoris celeberrimi Mater, Matrona honeſtiſſima, per multos annos phthiſica, poſtquam conſiliis noſtrorum Medicorum diu uſa fuiſſet, tandem etiam meum auxilium deſideravit. Cum omnia ſigna phthiſeos ab ulcere pulmonum ortæ animadvertiſſem, & illa multivariis remediorum formulis defatigata plurimorum medicamentorum apparatum reſpuiſſet, ipſi ſequens electuarium exulceratis pulmonibus maximè proficuum præſcripſi. ℞. *rad. liquir. raſ.* ℥ß. *ireos florent.* ʒij. *jujubar. recent. par. vij. herb. pulmonar. farfar. ſcabioſ. ā* Mj. *inciſa coq. in aq. font. ad* ℔j. *decoctum coletur & clarificetur, additaq; ſacchari libra una pondeꝛ commun. denuo coq. ad conſiſtent. ſyrupi, cui admiſce pulmon. vulp. præpar. pulv.* ℥j. *conſ. roſar. rubr. betonic. ā* ʒvj. *ſpec. diair. ſimpl.* ʒij. *diatrag. frig.* ʒj. *diarrhod. abbat.* ʒß. *ol. aniſi.* ℈j. *F. electuarium.* Ex diligente hujus electuarii uſu non contemnendum levamen Ægrota ſenſit, nam majori cum facilitate materiam pulmonibus impactam exſcreavit & liberius reſpiravit, ſic ut nocte, quas plures propter continuam tuſſim inſomnes traduxit, quatuor & quinque horarum ſpacio dormire potuerit. Annotatu dignum eſt, quod illa aliquot ante beatum obitum ſeptimanis ramum venæ arterioſæ

teriosæ à pulmonum parenchymate liberum & nudum rejecerit, huic prope similem, qualem *Thomas Bartholinus centur. III. histor. anatom. XCIIX.* delineare curavit. Ferè fidem superat apud antiquâ fide spectatum Consulem & Archiatrum *Nicolaum Tulpium lib. II. observat. med. XIII.* Navarchus *Ambstelredamensis*, qui diu in mari vivens ætate jam maturus ex perenni destillatione tussim magis terra quàm mari molestam contraxit, qua per biennium flaccidos pulmones exagitante, tandem viscus hoc plus nimiò debilitatum defecit: hinc effudit inopinatò non tantùm sanguinem, sed præterea duos insignes venarum ramos, adæquantes singulos expansæ manus magnitudinem, prodibant autem spontè ab omni parenchymate, ostendentes non minus distinctè extrema sua lineamenta, ac si otiosus Anatomicus circumpositi visceris impedimentum removisset, argumento certè evidenti, totum pulmonem fuisse vitiatum, ac proinde haud mirum, excretis hisce surculis ipsam cum sanguine vitam effudisse.

OBSERVATIO XXVI.

Odontalgia.

AD odontalgiam tollendam multivaria medicamenta proponuntur, ut nemo sit, qui dolori dentium mitigando suam operam non conferat. Ego quamdiu praxi Medicæ incumbo, nullum præstantius remedium laudano meo

opiato comperi, ſoleo granum noctu concedere, unde placidus ſurrepit ſomnus & mane omnis dolor evaneſcit. Formula laudani mei opiati ſequens eſt. ℞. *extr. opii ℥ij. croci. gr. v. ſuccin. alb. præpar. corall. rubr. præpar. margarit. præpar. ā ℈ß. lapid. bezoar. oriental. gr. iij. F. s. a. maſſa, doſis eſt granum unum.* In omnibus affectibus, ubi illius mentionem facio, tutò concedi poteſt.

Vir Summus *Thomas Bartholinus*, quum illi excavatus dens inferioris maxillæ poſtremus impensè doleret, varia pro ſedando dolore obtundendoque ſenſu nervuli externis injuriis patentis applicavit, quæ vel ratio vel viſitantium amicorum conſilium ſuggeſſit, imò quæ aliis proficua expertus fuerat, illum ſublevare non poterant, nempe oleum caryophyllorum, oleum vitrioli, ſpiritus vini, nicotiana, decoctum hyſſopi & ſalviæ, lac, theriaca, ſemen ſtaphiſagriæ & ſexcenta alia communi uſu probata. Ex unico alumine ſolatium invenit, quod ignitâ ſcutellâ fuſum in pulverem redegit, cumque nuce moſchata & mellis ſufficiente quantitate in mortario in linimenti formam permiſcuit, quo per vices partem dolentem inunxit non vano ſucceſſu, ſopiti enim dolores & nox quieta fuit. Unde anſam mihi præbuit *Bartholinus*, quòd & ego hoc remedium in odontalgia aliis ſuaſiſſem, qui in acerbiſſimo dentium dolore tollendo præclaram illius & laudani mei opiati efficaciam deprædicarunt.

OBSER-



OBSERVATIO XXVII.

Secundinarum retentio.

MUlieri puerum feliciter enixæ in utero ſecundinæ morabantur, cùm nulla alia remedia ad manus fuiſſent, illa pulveris mei ſternutatorii modicum naribus attraxit, unde aliquoties ſternutavit, & me adhuc præſente ſecundinas excrevit. Formula pulveris mei ſternutatorii ſequens eſt. ℞. *rad. pirethr. herb. tabac. indic. flor. lil. convall. roriſmar. betonic. major. ā ℈j. F. pulvis ſubtiliſſimus.* In hoc caſu ſequutus ſum dictamen *Hippocratis ſect. V. aphor. XLIX.* ἐς ὑστερέων ἐκπλύσιας πταρμικὸν προσθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα. *ut ſecundæ excidant, ſternutatorio indito nares & os apprehendito.* Quæ verba etiam *lib. II. popular. ſect. V. §. XLIII.* reperiuntur. Eleganter rationem exponit *Galenus in commentar. ſect. V. aphor. XXXV.* αἴτιον τῆς ὠφελείας, ὅτι τῷ σφοδροτέρῳ κλόνῳ καὶ βρασμῷ τοῦτο μὲν ἐπεγείρει τὴν φύσιν, τοῦτο δὲ ἐκκρίνει τὰ δυσεκκρίτως ἐμπεπαρμένα τοῖς μορίοις τοῦ σώματος. *Cauſa ob quam ſternutatio juvat, eſt, quia vehementiore concuſſu & agitatione partim quidem naturam excitat, partim verò excernit, quæ partibus corporis firmiter infixa adhærebant.*

Si ope pulveris ſternutatorii ſecundinæ non exeant, ſuadeo Junioribus Medicis, ut pulverem Clariſſimi *Heurnii* concedant, quem in dicti *aphoriſmi commentario* proponit, & cujus uſu plurimas mulieres propter retentionem ſecundinarum periculosè decumbentes Summi DEI beneficio

 (*Heur-*

(*Heurnii* verba repeto) à morte liberavit. ℞. *cinnam. elect.* ℨiiß. *myrrh. opt.* ℈ij. *ſuccini alb. præpar.* ℨiß. *rad. rubiæ tinctor. caſtor.* ā ℈j. *borac.* ℈ß. *croci gr. v. F. pulvis ſubtiliſſimus. Doſis eſt drachma una cum vino, cui ſaccharum adjectum fuit.* Vel præſcribantur formulæ duorum remediorum à Magnifico *Tulpio lib. IV. obſervat. medicar.* XLII. propoſitæ. ℞. *borac. Venet. ſuccini alb.* ā ℈j. *caſſiæ lign. caſtor.* ā ℈ß. *F. pulvis.* ℞. *rad. gramin. pœon. ſcorzoner. cichor.* ā ℥ß. *herb. acetoſ. endiv. borrag. meliſſ.* ā Mß. *artemiſ. carduibened.* ā Pj. *borac. Venet.* ℨiß. *coq. in aq. hord. ad* ℔j. *colat. ad ſyr. artemiſ. citri* ā ℥j. *F. potio pro tribus doſibus.* Ex horum medicamentorum uſu obſervavit *Tulpius*, puerperas plurima laceræ membranæ fruſta, ſanie ac ſordibus undique infecta, excreviſſe, iisque exoneratis amiſſam ſanitatem ſine minima virium aut valetudinis jacturâ recuperaſſe.



OBSERVATIO XXIIX.

Aſcites.

PRæcipuum Familiæ noſtræ Ornamentum, DN. PETRUS SARASINUS, Mercator integerrimus, menſe *Januario Ann.* CIↃIↃCLXII. inopinatò tumorem abdominis accreſcentem in ſemetipſo animadvertit, quem difficillima reſpiratio, tuſſis moleſtiſſima, appetitus proſtratus, palpitatio cordis ingens & pauca urinæ redditio comitabatur. Ex intimo amore erga Avunculum, Patris loco mihi honorandum, ductus, nolui propter

pter periculosa symptomata solus curationem inchoare, hinc Vir Clarissimus DN. FELIX PLATERUS, meus in officio Archiatri Antecessor, etiam accersitus, simulque consilium à Viro Excellentissimo DN. MELCHIORE SEBIZIO, Medicinæ Doctore & Professore in Academia *Argentoratensi* celeberrimo, Sene gravissimo, expetitum fuit, quod lectu & prælo dignissimum huic observationi subnectam. Bono cum DEO initium curationis *die XVIII. Januarii* cum seq. elixire purgante fecimus. *℞. mag. rad. jalap. gr. X. elix. vitæ Matthiol. ʒj. solvatur ad ignem & cum julepo rosato edulceretur:* ex hujus usu duæ circiter mensuræ humorum serosorum ac biliosorum eductæ fuerunt. *Die XIX.* sequentem sacculum contra obstructiones viscerum abdominis principaliorum præscripsimus. *℞. rad. enulæ ʒiij. fœnic. cort. tamar. sambuci, ebuli, ā ʒij. herb. betonic. marrubii alb. scabios. ceterach. ā M ß. summ. centaur. min. absinth. ā P j. rhabarb. elect. ʒvj. cremor. tartari ℥ß. sem. anisi ʒij. incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui affundantur duæ Mensuræ vini albi mediocris:* de hoc mane & vesperi cyathum plenum Æger bibit. *Die XXI.* ob molestissimam respirationis difficultatem & suffocationis metum sequentes rotulæ præscriptæ fuerunt. *℞. confect. alkerm. ʒj. spec. diairios simpl. ʒjß. diarrhod. abb. ʒß. ol. anisi gt. vj. facch. opt. aq. scabios. solut. ℥iij. F. s. a. rotulæ.* Propter permanentem abdominis tumorem sequentes pilulas usurpavit. *℞. mag. gutt. gamandr. gr. viij. ol. caryophyll. gutt. ij. F. cum mucilagine gummi tragacanthi pilulæ vij. deaurentur & sumantur mane cum regimine diætæ:* ex harum usu humores serosos abundantissimè per alvum dejecit, hinc meliusculè

se habuit Æger, majori cum facilitate respiravit, & tumor abdominis aliqualiter imminutus fuit, unde ad reliquias humorum serosorum tollendas, *die XXVI. Januarii*, prædictæ pilulæ repetitæ fuerunt, quarum ope rursus incredibili copia serum evacuatum fuit: cùm inde abdomen manifestè detumuerit, naturæ in assumendis medicamentis quietem meritò concessimus. Verùm *die VI. Februarii* rursus vocati observavimus prænominata symptomata novos insultus minari, hinc sacculum purgantem, humores peccantes aliquot vicibus educentem, præscripsimus. ℞. *rad. squillæ præparat. bryoniæ, cort. tamaric. cappar. ā ʒij. herb. hepatic. nobil. marrubii albi, farfar. beton. summit. centaur. min. absinth. ā Pj. rhabarb. opt. ℥iß. cremor. tartar. ℥j. mechoac. opt. ℥ß. rasur. ebor. ʒij. sem. anisi ʒj. incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi affundatur, de quo singulis vel alternis diebus mane ℥vj. cum regimine diætæ bibantur.* Ad viscerum & virium robur conservandum *die X. Februarii* sequentem trageam & electuarium consuluimus. ℞. *spec. diarrhod. abb. ʒj. diatrionsantal. aromat. rosat. ā ʒß. ol. cinnam. gut. iij. sacch. rosat. tabul. ℥iij. F. s. a. tragea.* ℞. *conserv. rosar. rubr. ℥j. borragin. betonic. ā ℥ß. roob. ribium ʒvj. confect. alkerm. ʒj. spec. diarrh. abb. diatrionsant. diamargar. frig. ā ℈j. syr. farfar. q. s. F. electuarium, de quo pro lubitu quantitas nucis moschatæ sumatur.* Cùm porrò Æger urinam parcè redderet, & omnimoda illius suppressio pertimescenda esset, ad urinam ciendam & humores serosos per vias urinarias educendos sequentia remedia à nobis præscripta fuerunt, quorum usum per aliquot septimanas continuavit. ℞. *rad. bryon. ℥j. herbar. parietar. marrubii alb.*

bii alb. agrimon. betonic. ā Mj. flor. sambuci Pij. sem. anisi ʒij. coq. in aq. font. q. s. in colat. ℥x. solv. mell. anthos. ℥ij. elect. bened. laxativ. ℥j. terebinth cum vitell. ovi solut. ʒiij. F. clyster: qui aliquoties repetitus fuit. ℞. *sal. ononid. fabar. ā ʒj genistæ, absinth. ā ʒß. F. pulvis dividendus in novem doses æquales, quarum una mane & vesperi in jusculo carneo sumatur.* ℞. *cinerum surcul. juniper. stipit. fabar. absinth. ā ℥ß. aq. sambuc. ebul. vini alb. veter. ā ℥iiij. bulliant par. postea colent. aliquot. ad form. lixiv. in colat. solve sacch. rosat. tabul. ℥j. aq. cinnam. ℥ß. F. potio pro tribus dosibus matutinis.* Ex horum remediorum usu majori cum levamine & quantitate urinam Æger reddidit, sed nihilominus tumor abdominis non decrevit: hinc *die XXI. Martii* pilulas ex *mag. gutt. gamandr.* rursus usurpavit, simulque iterum humores serosos incredibili copia per guttur inferius dejecit; unde cum à solis istis pilulis manifestum levamen animadveteret æger, omnibus modis rogavit, ut illarum usum ipsi porrò permitteremus, quapropter illas *die XXVII. Martii & II. Aprilis* repetivit. Ad vires roborandas *die VII. April.* sequentia remedia præscripta fuerunt. ℞. *aq. cardiac. offic. in exercit. de apoplex. §. XI. proposit, betonic. scabios. ā ℥ij. sacch. rosat. tab. ℥ß. margarit. præpar. ℈j. F. cardiacum.* ℞. *syr. jujub. farfar. alth. F. ā ℥j. ambr. gris. gr. ij. moschi oriental. gr. j. aq. scabios. ℥ß. Misce.* Cùm *die VIII. Aprilis* urinæ suppressio metuebatur, sequens julepus & clyster præscriptus fuit. ℞. *aq. fragar. ononid. malvæ, ā ℥ij. syr. alth. Fern. citri. ā ℥iß. F. julepus pro duabus dosibus.* ℞. *rad. bryon. ℥j. ononid. lil. alb. ā ℥ß. herb. heder. terrestr. betonic. agrimon. parietar. ā Mj. flor. sambuc. Pj. sem. lini ℥ß. petrosel. ʒij. coq. in aq. font. q. s. in colat. ℥viij. solv. electuar.*

E 5 *benedict.*

benedict.laxat. ℥j. *hier.picr.Log.* ℥ß. *mell. anthos.* ℥jß. *terebinth. cum vitel. ovi sol.* ʒiij. *F. clyster*: ex cujus injectione cùm in reddenda urina & flatibus expellendis manifestum levamen sensisset Æger, sæpius ille repetitus fuit. *Die XV. Aprilis* tumor abdominis iterum accrevit, hinc consultum fuit, humores serosos κατ' ἐπίκρασιν per pilulas sequentes evacuare. ℞. *mag. rad. jalap. mag. scammon.* ā ℈j. *extr. pilul. ammoniac. Querc.* ℈ß. *cathol.* ℈j. *extr. esulæ mag. gutt. gamandr.* ℈ß. *ol. still. anisi gt. viij. misce dilig. forment. pilulæ ex* ℈j. *num. xviij. sumantur novem cum regimine diætæ, illorumq; usus trium aut quatuor dierum intervallo per aliquot septimanas continuetur.* Cùm nova urgeret urinæ suppressio, *die IX. Maji* seq. clyster injectus fuit. ℞. *rad. alth.* ℥j. *petrosel. ononid.* ā ℥ß. *herb. malv. heder. terrestr. violar.* ā *Mj. flor. chamæm. melil.* ā *Pj. semin. lini* ℥ß. *carui* ʒij. *coq. in aq. font. q. s. in col.* ℥viij. *solv. elect. bened. laxat. mell. mercurial.* ā ℥j. *tereb. cum vitell. ovi sol.* ʒiij. *F. clyster*, qui etiam *die XI. & XIII.* repetitus fuit. *Die XV.* seq. pilulas usurpavit. ℞. *extr. catholic.* ℈j. *gutt. gamandr. gr. iij. ol. anisi gt. iij. F. pil. XI. deaur. & sumantur mane.* Cùm de nimium dolorifica abdominis extensione Æger conquereretur, *die XVIII. Maji* sequens pulvis præscriptus fuit. ℞. *rad. jalap. opt.* ʒß. *cremor. tartar.* ℈ß. *gutt. gamandr. gr. ij. F. pulvis*, quem manè in vino albo cum regimine diætæ sumpsit, & magnam humorum serosorum ac biliosorum copiam per inferiora dejecit: quum autem ex hujus pulveris usu non exiguum levamen adverteret Æger, illum *die XXII. & XXVI. nec non ultimo Maji* præmisso clystere prædicto repetiit. Ad tonum viscerum, præsertim abdominis, conservandum & roborandum juxta

trageam & electuarium supra indicatum sequentibus morsellis etiam usus fuit. ℞. *amygdalar. dulc. rec.* ℥ß. *conserv. rosar. rubr. borragin.* ā ʒij. *cort. citri cond.* ʒiij. *nuc. Indic. cond.* ʒij. *spec. diatrion. santal. rosat. novell.* ā ʒß. *facch. opt. aq. rosar. solut.* ℥iiij. *F. s. a. morselli.* Principio *Junij* urina incepit omnimodè supprimi, nec ulla arte ad vias naturales reduci potuit, hinc supervenientibus tandem lipothymiis Vir iste insignis entheum suum spiritum, inter ardentia ad cœlestem Patriam suspiria, DEO Creatori & Redemptori suo reddidit. Interim in terris

Permansura Orbi veræ virtutis Imago
Venturaq́, decus Posteritatis erit.

CONSILIUM
VIRI Amplissimi

DN. MELCHIORIS SEBIZI
Comitis Palatini Cæsarei
Inclytæ Reipub. Argentoratensis Archiatri gravissimi.

EX transmissis literis satis superque collegi, Virum Integerrimum & honestissimum ea laborare hydropis specie, quæ ab artis medicæ Proceribus ascites appellari solet. Quippe abdomen jam est haud leviter intumefactum: pedes œdematoso affecti sunt tumore: diaphragma liberæ respirationis organum à flatuum & serosi humoris copia comprimitur, ut Dn. Patiens ægrè & difficulter admodum respiret, imò noctu cum-

primis circa horam ſecundam, tertiam vel quartam ſurgere & ſeſe recolligere neceſſe habeat. Huc accedit, quod hepar illi ſemper fuerit debile, & cùm inſuper palpitatione cordis divexetur, ſuſpicionem mihi movet, ut ferè credam, etiam lienem eſſe affectum; habet enim per arterias numeroſas effatuque dignas magnum cum corde conſenſum: hinc quando obſtructus eſt & melancholico humore refertus, fieri ſolet, ut tetris ab eo elevatis vaporibus & fumis cordique communicatis vis illius expultrix inſurgat, & quod moleſtum ſibi eſſe ſentit, per immoderatam iſtam concuſſionem excernat: hoc hoſte expulſo palpitatio tamdiu ceſſat, donec ſtimulus exſuſcitatus ſit novus & ad arcem cordis transmiſſus. Interim non nego, ſymptoma iſtud à copia ſeri ejusque halitibus proficiſci poſſe; conſtat enim palpitationem cordis & tunc oriri, quando pericardium ſeroſo humore eſt onuſtum. Tuſſire hydropicos nihil novi; ſed tuſſim iſtam *Hippocrates ſect. VI. aphoriſm. XXXV.* judicat eſſe malam, hinc diligenter notandus eſt *Galeni commentarius*, ἐπιγίνεσθαι τοῖς πάθεσιν ἕτερα πάθη τε καὶ συμπτώματα τοῖς παλαιοῖς ἰατροῖς ἔθος ἐστὶ λέγειν, ὅσα κατὰ τῆς αὐτοῦ πάθους λόγον αὐξανομένου συμβαίνειν εἴωθε. Τοιοῦτον γάρ τι καὶ τὸ τῶν ἐπιγινομένων ἐστὶ Πραξαγόρου βιβλίον. οὕτω δὲ καὶ νῦν εἴρηται ἐπὶ τῆς βηχός. οὐ γὰρ ἐπειδὰν δι' ἄλλην τινὰ γένηται πρόφασιν ὑδερικῷ βὴξ, ὀλέθριόν ἐστι σημεῖον, ἀλλ' ὅταν αὐτῷ τῷ λόγῳ τοῦ νοσήματος· ἡνίκα γὰρ ἂν ἐς τοσοῦτον αὐξηθῇ πλῆθος ἐπὶ τῶν ὑδερικῶν παθῶν ἡ ὑδατώδης ὑγρότης, ὡς ἤδη καὶ τὰς τραχείας ἀρτηρίας καταλαμβάνειν, εἶτα βὴξ ἐπιγίνηται, τότε κίνδυνος ἐστὶ πνιγῆναι τὸν ἄνθρωπον οὐκ εἰς μακράν. *Supervenire paſſionibus alias paſſiones & caſus, priſci Medici dicere conſueverunt, quæcunque ipſius paſſionis adaucta ratione contingere ſolent; talis enim eſt* Praxagoræ *liber* de ſupervenientibus *inſcriptus. Sic &*

nunc

nunc de tussi dictum est, *neque enim cum ex alia fit occasione in homine aquam inter cutem patiente tussis signum est exitiale, sed quando ipsius morbi ratione, cùm enim in hydrope aquosa humiditas tantum adaucta fuerit, ut jam asperas occupet arterias, si tussis superveniat, tunc periculum imminet, ne homo haud ita multo post strangulетur.* Cæterùm cum Dn. Patiens de appetitus ciborum prostratione etiam conqueratur, palàm fit, neque ventriculum benè constitutum esse; parit ergo cruditates, quæ postea & venas mesenterii & hepar obstruunt, crudasque & turbidas urinas generant.

Ex quibus apparet, Dn. Patientem non esse prorsus extra vitæ periculum: tum ratione affectus, qui sanè magnus est & curatu difficilis, insuper etiam contumax atque rebellis, quoniam nullis hactenus cessit remediis: tum ratione symptomatum adjunctorũ & cumprimis illius dyspnœæ, quæ requiem illi nocturnam magna ex parte adimit: huc accedit, quòd Dn. Patiens jam in declinante ætate versetur, in qua hydrops periculosior curatuque difficilior esse consuevit.

Quid in curatione faciendum, experientissimi Medici probè intellexerunt, facileque cognoscitur, si ad indicantia curatoria, præservatoria & vitalia respiciatur. Indicantia curatoria sunt morbi ventriculi, mesenterii, hepatis & lienis. Præservatoria sunt noxii humores ac potissimum serosi, qui præ cæteris abundant. Vitalia sunt vires, quæ non parum ob parcitatem cibi, dyspnœam, palpitationem cordis & interruptam quietem nocturnam sunt dejectæ. Requiruntur ergo quadruplicis generis medicamenta, alterantia, vacuantia, aperientia &

tia & roborantia, quæ à Clarissimis Medicis sollicitè usurpata fuisse perspexi, ideo si alia adderem, noctuas certè *Athenas* mittere viderer. Ne tamen nihil agam & ut petitioni Dn. Patientis satisfaciam, paucula proponam, eaque Dominorum Medicorum Ordinariorum censuræ & judicio subjiciam: formulas remediorum præscribere supervacaneum est, eorum materiam indigitasse sufficiet. In vacuantibus remediis præcipuè respiciendum est ad serosi humoris eductionē, ut dolor ventriculi intensus mitigetur, dyspnœa fiat remissior, & caveatur, ne viscera, quæ sero in abdominis cavitate innatare videntur, magis corrumpantur; hinc vitanda sunt nimium fortia, ne viscera debilitata magis enerventur: fugienda etiam emetica sive vomitoria, quoniam vomitus dyspnœicis & ventri à sero ac flatibus distento laboriosus valdeq; noxius est. E vacuantibus placent dejectoria & diuretica: scio Practicos farraginem illorum remediorum describere, quæ aquas hydropicorum partim sensibiliter partim insensibiliter exhauriunt: sensibiliter per paracentesin, scarificationes, sudores, fonticulos, vesicatoria, alia: insensibiliter per ea, quæ serum absorbent, digerunt atque discutiunt, nimirum per fomenta humida & sicca, cataplasmata, unguenta & emplastra. Verum cùm hydropici, qui difficulter respirant, stuphas ferre nequeant, ideo silentio illas involvo. Scarificationes pedum non satis tutas esse novi: portâ namque sero copioso apertâ impetuosè id ad loca aperta effluit, calorem obruit & suffocat, ut tandem gangræna & post hanc sphacelus superveniat. Paracentesis unũ

est re-

eſt è remediis externis, quod ægri non facilè admittunt. Topica exſiccantia & abſorbentia, quæ ventri imponuntur, non ſaltem ægris moleſta ſunt, ſed etiam parum efficiunt, ubi magna eſt aquarum collecta copia. Cumprimis dejectoria & diuretica pharmaca alternis vicibus præſcriberem. Pro dejectoriis pulverem, ſacculum in vino infuſum & pilulas eligerem. Inter pulveres ialapa primas tenet. Sacculus paratur ex radicibus cichor. ebul. ſambuc. ononid. vincetox. herbis abſinth. carduibened. agrimon. floribus centaur. minor. & perſic. ex rhabarb. elect. fol. ſenn. mund. ſem. aniſi & fœniculi. Pilulæ ex extract. panchymag. & eſul. componuntur. Præſtantiora diuretica æſtimantur ſal juniperi, ononidis & fabarum. Pro roborandis viſceribus conficiantur morſelli ex conſerv. roſar. rubr. borragin. cort. citri & arantior. cond. nuc. Indic. cond. ſpec. diatrionſantal. diarrhod. roſat. novell. & ſaccharo in aq. roſar. ac cinnam. ſoluto: vel electuarium præſcribatur ex conſerv. roſar. rubr. betonic. cort. citr. confect. alkerm. & hyacinth. ſpec. diamargar. frig. cum ſyrupo cort. citri & julepo roſato. Si ad virium refectionem morſelli & electuarium iſtud minus placerent, parari poſſet aqua cordialis ex aq. roſar. violar. borrag. flor. acaciæ, cinnam. ſacch. roſat. tabul. confect. alkerm. & margaritis. DEUS OPT. MAX. indigitatis remediis benedicat, & pro beneplacito ſuo Dominum Ægrotum priſtinæ ſanitati reſtituat.

OBSER-



OBSERVATIO XXIX.

Alvus adstricta.

Contra alvi adstrictionem à quacunque causa ortam nullum præstantius remedium in praxi mea annotavi, quàm passulas purgantes, quas *Angelus Sala* Præclarus Chymiater & Archiater *Megapolitanus sect. I. tartarolog. cap. VIII.* sequentibus verbis proponit. ℞. *Folior. sen. oriental. mundat.* ℥j. *aq. agrimon.* ℥viij. *F. infus. in vase vitreo bene clauso s. a. colat. ad. passul. corinth. mundat. & lot.* ℥ij. *sacch. alb.* ℥j. *acid. tartar.* ʒiij. *passulæ in expresso succo ad turgescentiam lentè coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans verò liquor cum saccharo ad syrupi consistentiam coquatur, superq; passulis fundatur, qua facta affusione acidum tartari subtilissimè instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam XV. guttulis olei anisi stillatitii in ollula summo studio asservetur.* Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo circum jacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata: maximè etiam conducibiles sunt pro

solvenda

ſolvenda ac humectanda ægrotorum alvo in lue venerea ſudoriferis eliminanda. Doſis harum paſſularum eſt cochleare unum plus minus pro ratione aſſumentis paulo ante prandium; hoc ſiquidem tempore felicius quàm alio operantur, ac plerumque tam ſpumantes ventoſas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulſis ægroti, præſertim verò hypochondriaci, graviſſima ventoſorum ſymptomatum ſarcinâ ſe liberatos ſentiunt. Hactenus *Sala.*



OBSERVATIO XXX.

Convulſiones à lumbricis ortæ.

PUer quatuor annorum ex inclyta familia natus ſæpe convulſionibus correptus fuit: varia convenientia remedia à variis Medicis conceſſa fuere: vocatus pulverem noſtrum officinalem contra vermes præſcripſi, cùm ante paroxyſmum de torminibus ventris æger conquereretur, hinc lumbrici rotundi confeſtim prodiere, & puer ab omni convulſionum inſultu liber evaſit. Formula pulveris contra vermes officinalis ſequens eſt. ℞. *ſemin. contra vermes* ℥ß. *corallin. folior. ſenn. elect.* ana ʒij. *rhabarb. elect. C.C. philoſoph. præpar.* ana ʒj. *diagrid.* ℈ß. *F. s. a. pulvis*, doſis eſt ſcrupulus unus uſque ad drachmam.



OBSERVATIO XXXI.
Dolor Hæmorrhoidum.

Mercator *Basileensis* quadraginta annorum acerbissimum hæmorrhoidum dolorem passus est: vocatus propter inflammationis metum in brachio ex jussu meo venam aperuit, & nocte ad demulcendam humoris acrimoniam sequenti emulsione usus fuit. ℞. *amyg. dulc. rec. exc.* ℥ß. *sem. cucum. melon. ā* ʒij. *papav. alb.* ʒj. *aq. malvæ* ℥iij. *parietar. nymph. ā* ℥iß. *sacch. rosat. tab.* ʒij. *F. emulsio pro duabus dosibus.* Ad dolorem leniendum & inflammationem discutiendam sequens linimentum usurpavit, ℞. *ol. nucleor. persic. papaver. rosar. & ovor. ā* ʒij. *unguenti populeon. q. s. F. linimentum.* inde aliqualem doloris mitigationem percepit, sed ille post aliquot horas rediit, hinc famosum illud unguentum de linaria suasi, quod instar miraculi omnem dolorem sustulit. hoc *Johannes Hartmannus* celebris ille Chymicus in *praxi sua chymiatr. p. m.* 203. sequentibus verbis describit & commendat. ℞. *herb. linariæ cum floribus Mj. contundantur & cum adipe poricina q. s. F. linimentum, cui expresso & parumper refrigerato vitellum ovi permisceatur, cumq; gossypio vel lana parti dolenti applicetur.* hoc remedium tanti fecit D. *Johannes Wolfsius*, ut tanquam medicamentum singulare Illustrissimo suo Principi, *Ludovico Seniori*, *Hassiæ Landgravio*, toties rogatus revelare noluerit, priusquam ipsi annuatim bovem saginatum promitteret, quâ promissione

miſſione facta non tantum herbam linariam ipſi monſtravit, ſed etiam verſiculum addendo differentiam ab eſula patefecit.

Eſula lacteſcit, ſine lacte linaria creſcit.

hoc poſtquam aſſidens Nobiliſſimus Vir *Johannes Riſodelius, Hæreditarius ab Eſchenbach, Mareſchallus Haſsiacus* percepiſſet, cum joco verſiculum invertit.

Eſula nil vobis ſed dat linaria taurum.

Tandem in cura doloris hæmorrhoidum ſedulò notandum: ſi tumor nullis remediis diſcuti poſſit, hæmorrhoidas hirudinibus aperire maximè conducit, prius tamen diligenter obſervata Magni *Riolani* ſequente cautela. Si ſanguinem craſſum & melancholicum ab hæmorrhoidalibus venis educere velis, ut vena portæ exoneretur, verſus coccygam & magis introrſum hirudines admove: ſin autem venam cavam duntaxat deplere cogites, à lateribus podicis & verſus perinæum ac ſuperficietenus ſanguiſugas affige.



OBSERVATIO XXXII.

Menſtrua ſuppreſſa.

Religioſa Virgo *Franciſcana* annorum quadraginta ab octo menſibus ſuppreſſionem menſtruorum paſſa erat: plurima ipſi ab aliis remedia præſcripta & aliquoties vena malleoli aperta fuit, ſed omnia incaſſum: hinc *Baſileam* venit, & auxilium meum ſollicitavit. Cùm è præmiſſo examine magnam ſanguinis copiam in

illa animadvertiſſem, juſſi illam alternatim venam in utroque brachio aperire, unde menſtrua fluere inceperunt, quæ uſurpato ſequenti ſacculo & balneo poſtea fluxum naturalem obſervarunt. ℞. *rad. bryoniæ* ℥ß. *herb. artemis. marrubii alb. chamædr. ſummitat. centaur. minor. abſinth.* ā̄ *Pj. folior. ſenn. elect.* ℥ij. *agaric. rec. trochiſc.* ℥ß. *rad. helleb. nigr. præpar.* ʒj. *ſem. aniſi* ʒiß. *cinnam.* ʒj. *inciſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui menſura vini albi veteris affundatur, de cujus colatura mane alternis diebus* ℥vj. *bibantur.* Poſt uſum vini hujus purgantis balneum tali modo paretur. ℞. *rad. lilior. albor. bryoniæ, alth.* ā̄ ℥ij. *herb. malv. mercurial. puleg. matricar. artemiſ.* ā̄ *Miij. ſem. fœnigr. lini,* ā̄ ℥j. *inciſa dentur pro balneo per novem dies uſurpando.*



OBSERVATIO XXXIII.
Colica.

Mercator triginta annorum multivariis actionum forenſium controverſiis intricatus, ad iram proclivis, acerbiſſimos dolores colicos paſſus fuit. Vocatus ad illum, cùm de ardore circa umbilici regionem intolerabili, vomitu bilis æruginoſæ enormi, cruciatibus ad inguina teſteſque deſcendentibus, & contumaci aſtrictione alvina conquereretur, mox ſequentem clyſterem præſcripſi. ℞. *rad. alth.* ℥j. *herbar. quatuor emollient.* ā̄ *Mj. flor. chamæm Pj. ſemin. lini* ℥ß. *coq. in aq. fontan. in colat.* ℥x. *ſolve elect. lenitiv.* ℥j. *mell. anthoſ.* ℥ij. *ol. chamæm.* ℥j. *F. clyſter.* quamdiu hunc clyſterem retinuit, dolor

dolor aliqualiter sopitus fuit, cùm autem expulso clystere reverteret, ad majorem bilis ac pituitæ viscidæ & flatuum revulsionem & evacuationem vesperi fortior clyster injectus fuit. ℞. *rad. bryon.* ℥iß. *lil. albor.* ℥ß. *herbar. meliss. menth. parietar. malv.* ã *Mj. flor. sambuc.* Pj. *sem. anisi* ʒiij. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥x. *solve elect. benedict. laxativ.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ℥ß. *mell. anthos.* ℥ij. *ol. anethin.* ℥j. F. *clyster.* ex cujus injectione magnum levamen sensit, nam magna peccantium humorum & flatuum abundantia expulsa fuit. Noctu granum *laudani mei opiati* sumpsit, & quietam noctem transegit. Secundo die eum mane invisens sequentem potiunculam purgantem præscripsi. ℞. *electuar. de succo rosar.* ℥ß. *aq. veronicæ,* ℥iß. *cinnam.* ʒij. F. *potiuncula.* unde rursus ingentem biliosorum humorum copiam dejecit, & dolores evanescere inceperunt. Tertio die jussi ad reliquias humorum peccantium tollendas posteriorem clysterem injicere. Quarto die potiunculam purgantem repetiit, unde rursus egregiè dejecit, & secundæ valetudini restitutus fuit.

OBSERVATIO XXXIV.
Variolæ cum diarrhœa.

Filiola septem annos nata variolis correpta fuit cum diarrhœa continua : quum die quarto, alvi fluxus, febris acuta & sitis intensa maximè urgeret, ad illam vocatus fui, & sequentia remedia præscripsi. ℞. *C.C. ras.* ʒvj. *rad. tor-*

 mentil.

mentil. ℥ß. *coq. in aq. font. ad mensur. duas, colatura detur pro potu ordinario.* ℞. *aq. plantagin. succisæ, ā* ℥ij. *syr. corallorum* ℥j. *rub. idæi,* ℥ß. *F. julepus pro duabus dosibus.* ℞. *amygdal. dulc. rec. exc.* ʒvj. *sem. papav. alb.* ʒj. *aq. plantag. succis. ā* ℥iiß. *F. emulsio ad. sacch. rosat. tabul.* ʒij. *C. C. philosoph. præpar.* ℈j. *Misce pro tribus dosibus.* Ex diligenti usu horum remediorum diarrhœa imminuta & variolæ intumefactæ fuerunt, unde filiola hæc extra vitæ periculum posita brevi convaluit.



OBSERVATIO XXXV.

Icterus flavus.

Virgo religiosa Ordinis *Cistertiensis*, triginta annos nata, ictero flavo correpta fuit, sic ut universa cutis aureo colore suffusa conspiceretur. Præscripsi sequentem sacculum purgantem, quo unico remedio valetudinem secundam recuperavit. ℞. *rad. rubiæ tinctor.* ℥ß. *herb. chelidon. major. agrimon. marrub. alb. summit. centaur. min. absinth. ā* P j. *folior. senn. elect.* ℥ij. *rhabarb. opt.* ℥j. *cremor. tartar.* ℥ß. *sem. anis.* ʒij. *incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi affundatur, de quo mane* ℥vj. *cum regimine diætæ bibantur.*

OBSER-



OBSERVATIO XXXVI.

Profluvium seminis ex impuro concubitu.

Militiæ Præfectus apud *Gallos* & *Martis* & *Veneris* castra sequutus, in *Germaniam* redux, ab aliquot annis gonorrhœam antiquam passus fuit. *Basileam* transiens curæ meæ se submittit. Posteaquam mihi retulisset, se per aliquot septimanas *Parisiis* decocto sudorifero jam usum fuisse, saltem illi sequentes pilulas præscripsi. ℞. *extr. catholic.* ℈j. *mercur. dulc.* ℈ß. *ol. salviæ gt. ij. F. pilulæ XV. deaur. & sumantur mane cum regimine diætæ.* ex usu harum pilularum aliquoties dejecit, & in seminis fluxu levamen sensit, unde tertio die repetitæ fuerunt. Quarto die sequens remedium consului. ℞. *rad. dictamn. Cretic.* ℥ß. *herb. menth.* M*ij. sem. vitic. lactuc. rutæ, ā* ʒ*iij. terebinth. Venet.* ℥*ij. vini alb. veter.* ℥*viij. aq. plantag.* ʒ*iiij. destillentur in balneo Mariæ.* de hac aqua destillata manè duabus horis ante prandium & vesperi ante cœnam cochleare plenum sumpsit, & brevi temporis intervallo à pertinaci ista gonorrhœa liberatus fuit.



OBSERVATIO XXXVII.

Hæmoptysis.

CLarissimi Mercatoris Uxor honestissima post mediam noctem hæmoptysi correpta fuit, nam sputum sanguinis copiosum tussi ejecit. Summo mane ad illam vocatus sequentem julepum præscripsi. ℞. *aq. plantagin. farfar. papav. rhead.* ā ℥ij. *syr. corallorum* ℥j. *de rosis sicc.* ℥ß. *granator.* ʒiij. F. *julepus pro duabus dosibus.* dein post aliquot horas venæsectio in brachio instituta erat. Sub vespera eundem julepum usurpavit. Secundo die humores serosi & biliosi, sanguinem fluidiorem efficientes, sequente potiuncula educti fuerunt. ℞. *rhabarb. elect. pulv.* ʒß. *rad. jalap. pulv.* ℈j. *syr. flor. persicorum* ℥ß. *aq. plantagin. q. s.* F. *potiuncula cum regimine diæta sumenda.* Cùm tertio die sputum sanguinis remitteret, ad curam absolvendam & recidivam impediendam sequentia remedia consului. ℞. *conf. rosar. rubr.* ℥j. *flor. betonic. rad. symphyt. cond* ā ℥ß. *spec. diatrag. frig.* ℈j. *boli armen. lap. hæmatit. præpar.* ā ℈ß. *syr. papav. rhead. jujubin.* ā *q. s.* F. *electuarium, de quo pro lubitu magnitudo nucistæ sumatur.* ℞. *spec. diatragac. frig.* ʒiß. *corall. rubr. præpar.* ℈j *boli armen. præpar.* ℈ß. *ol. anisi gt. iij. sacch. opt. aq. scabios. & rosar. solut.* ℥iij F. s. a. *rotulæ pro beneplacito usurpandæ.* ℞. *syr. corallor. farfar. jujubin.* ā ℥j. *aq. plantag.* ℥ß. *misce, de quo ad lubitum aliquot cochlearia plena assumantur.* Ex sedulo horum medicamentorum usu sputum sanguinis omnimodè cessavit.

OBSER-



OBSERVATIO XXXIIX.
Fluxio hæmorrhoidum immodica.

PResbyter Episcopatus *Constantiensis*, quadragenario major, sæpe fluxionem hæmorrhoidum immodicam passus fuit, à qua, licet plurima remedia usurpasset, liberari non potuit, hinc ob præsentem virium imbecillitatem, corporis cachexiam & metum hydropis consilium anxiè sollicitavit. Animadverti è præmisso examine, humores biliosos & serosos sanguinis impetum excitare, hinc consului, ut terna vice sequentem potiunculam usurparet. ℞. *Tamarindor.* ʒiij. *rhabarb. elect.* ʒij *aq. cichor. q. s. infund. per noct. mane bulliant par. in colat.* ℥iij. *solve syr. ros. sol. simplic.* ℥ß. *pulv. radic. jalap.* ℈ß. *F. potiuncula cum regimine diæta sumenda.* Post usurpatam ultima vice hancce potiunculam vena in brachio aperiatur, nec non sequens electuarium & tragea alternis vicibus usurpetur. ℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥j. *flor. betonic. radic. cichor. cond. symphyt. cond.* ā ℥ß. *sal. martis*, *spec. diatrionsantal.* ā ℈j. *syr. granator. corallor.* ā *q. s. F. electuarium.* ℞. *ras. eboris*, *ocul. cancr. præpar.* ā ʒij. *corall. rubr. præpar.* ʒj. *spec. diatrionsantal.* ʒiß. *facch. ros. tab.* ℥iij. *F. s. a. tragea.* Post aliquot menses *Basileam* venit, & pristinæ sanitati restitutus debitas grates mihi persolvit. In cura fluxionis hæmorrhoidum immodicæ diligenter notandum, ne statim in principio fluxus sistatur, nam terreat juniores Medicos historia, quam *Reinerus Solenander*

lenander sect. IV. consilior. medic. XX. proprio suo exemplo refert. Memini, quod monendum mihi hîc est, me ante annos decem *Annam è Ducibus Clivensium* prognatam, Illustr. *Comitem à Waldeck*, gravissimo hæmorrhoidum diuturnoque fluxu curantem magna diligentia summoque nisu, quum viderem, viribus labefactatis spiritibusque dissolutis summum discrimen imminere, profluvium obfirmasse, verùm cùm illa inde primo die recreata, sequentibus mirificè gravari & circa præcordia tumere atque inflari inciperet, vocatus sexto die, coactus venis reclusis profluvium rursus movi, neque potui tutò & securè stringere, priusquam corpori levibus vacuationibus, hepatique necessariò aliis alterantibus atque roborantibus prospexissem: itaque dextrè heic agendum, ne volentes, quod dicitur, vitare *Charybdin* in *Scyllam* incidamus, hoc est, prospicientes minori malo, aliud gravius concilie-mus. Hactenus *Solenander.*

OBSERVATIO XXXIX.

Lochiorum suppreßio.

PUerpera quarto post partum die, cùm imprudenter aëri frigido se exposuisset, in lochiorum suppressionem incidit, unde febris accensa fuit, ad illam vocatus sub vespera sequentem clysterem, julepum & sacculos præscripsi. *℞. rad. lil. alb.* ℥j. *bryoniæ* ℥ß. *herb. violar. malvæ, artemis.*

temis. puleg. ā Mj. flor. sambuc. Pj. sem. lini ℥ß. coq. in aq. fontan. q. s. in colat. ℥x. solv. mell. anthos. ℥ij. ol. cheirin. elect. diacatholic. ā ℥j. hier. picr. Gal. ℥ß. F. clyster. ℞. *aq. artemis. cichor. puleg. ā ℥ij. syr. artemis. Fern. ℥iß citri ℥ß. spir. sal. gt. vj. F. julepus pro duabus dosibus post clysterem redditum sumendus.* ℞. *rad. alth. lilior. albor. ā ℥iß. bryoniæ, angelic. ā ℥ß. herb. violar. mercurial. artemis. puleg. ā Mij. sem. lini ℥iß. incisa dentur ad sacculos duos in lacte coquend. & alternatim hypogastrio tepidè admovendos.* Cùm noctu lochia fluere incepissent, jussi manè venam malleoli aperire, unde fluxus illorum omnimodè rediit.



OBSERVATIO XL.

Cephalæa.

CUm in aula Eminentissimi Cardinalis *Hassiaci* apud Equitem *Melitensem*, ex febre terțiana decumbentem, *Heitershemii* commoraret, petiit à me auxilium Civis *Heitershemiensis*, qui per multos annos propter vehementissimam sanguinis effervescentiam tam atroci cephalæa laboravit, ut sæpe animum induxerit, sibi ipsi manus violentas inferre. Quum illi indicarem, præstantius arteriotomiâ remedium contra inveteratas istas cephalæas non dari, mox obsecundavit, unde præsens Chirurgus arteriam temporalem aperuit, sanguinis uncias sex circiter eduxit, & emplastrum ex thure, mastiche, bolo armenâ

cum albumine ovi ſubactis, ac faſciam couvenientem admovit. Ex unico & ſolo hoc remedio bonus iſte Vir à contumaci cephalæa liber evaſit. In hac cura ſequutus eram obſervationem annotatu & lectu digniſſimam, quam *Ambroſius Paræus lib. XVI. Chirurg. cap. IV.* ſequentibus verbis proponit. Si cephalææ cauſa eſt à ſanguine fervido, tenui & vaporoſo, quæ nullis remediis vinci potuerit, ab arteriotomia in temporibus celebrata neceſſarium, utile & promptum habebis remedium, ſive malum ab externis aut internis vaſis oriatur: hoc expertus ſum in permultis & præcipuè in *Principe à Rupeſurionenſi*, huic atroci hemicrania divexato Dominus *Cappellanus* Regis, & *Caſtellanus* Reginæ primarius Medicus, atque *Ludovicus Duretus* medicinam faciebant, nec tamen phlebotomia, cucurbitulis, balneis, frictionibus, diæta, ullove remedii genere quidquam opis afferebant: vocatus ego dixi unicam ſalutis ſpem reſtare, ſi ipſi arteria in temporibus aperiretur, qua parte dolor ſæviret, mihi enim veriſimile fieri, doloris cauſam non venis ſed arteriis concludi, quo in caſu nullum arteriotomiâ præſtantius eſſe remedium etiam Veteribus proditum fuit, cujus in me ipſo etiam magno meo bono periculum feciſſem: cùm hoc conſilium Medici approbaſſent, ad opus ſtatim me accingo, arteriamque in tempore ſeligo, quæ & tumentior eſſet & vehementiùs cæteris pulſaret, hanc unica inciſione aperio, ſanguiniſque magno cum impetu proſilientis duo vaſcula elicio, unde dolor ſtatim ceſſavit. Hæc *Paræus*. Mirum igitur non eſt, adhuc hodie *Pariſiis* arterias frontis & temporum

porum in cephalæa, phrenitide, inflammatione oculorum magna, & doloribus aurium acerbissimis aperiri, uti celeberrimus *Riolanus lib. V. enchirid. anatomic. cap. VI.* refert. Quàm frustranea & supervacanea autem præter arteriotomiam in hemicraniis sint alia remedia, *Simon Jacozius* in observationibus Clarissimo *Riverio* communicatis, *observatione XII.* ostendit. Vir quidam quinquagenarius, gracilis & ad iram maximè proclivis, à duobus circiter annis, dolore capitis acutissimo laboravit, qui quoties à summo vertice partis dextræ recurrebat, ægrum lecto affixum adeo discruciavit, ut illum ferme ad desperationem duceret: dolor autem observabatur sine febre, sed cum pulsatione insigni arteriæ ejusdem temporis. Ad eum vocatus phlebotomiam imperavi, præmisso clystere ad eluendas impuritates alvinas; deinde medicamentum cholagogum exhibitum & iteratum est per aliquot dies, usurpatis interim julepis refrigerantibus & humorem biliosum præparantibus: postea admota sunt capiti repellentia & oxyrrhodina, ac revulsiones per cucurbitulas celebratæ, porrò iterata est phlebotomia, inde tamen dolor non cessavit: qui cùm adventante vere reversus esset, præmisso clystere emolliente & medicamento bilem evacuante ad arteriæ temporis apertionem descendi, sanguis cum impetu prosiliens ad ℥v. eductus fuit, & admoto vulneri splenio ex linteo duplicato, aquâ frigidâ madefacto, ac fascia super inducta, ut in vulgari phlebotomia fieri solet, dolor intra dimidiam horam sublatus, nec ab eo tempore reversus est. Ad majorem cautelam præ manibus erat emplastrum

Galeni

Galeni ex thure, mastiche, bolo armena & pilis leporinis cum albumine ovi subactis, sed illo opus non fuit. Hæc *Jacozius*.



OBSERVATIO XLI.

Asthma.

ADmodum Reverendus & Religiosus P. *Antonius* Capucinus, ex nobilissima & præcellentibus Dignitatum hujus Ævi eminentiorum honoribus splendidissima *FAMILIA ROGGENBACHICA* oriundus, cùm in Conventu Patrum Capucinorum *Rheinfeldæ* degeret, aliquoties mihi conquestus est, se per intervalla, sive per plateas obambulet, sive loca altiora ascendat, molestissimo asthmate corripi. Cùm magnam humorum imprimis biliosorum & serosorum copiam in illo animadvertissem, autor fui, ut singulis mensibus sequentes pilulas usurpet. ℞. *extr. catholic.* ℈j. *aurear.* ; *cochiar.* ā ʒß. *magist. diagrid.* ℈j. *gutt. gamandr.* ℈ß. *ol. anisi. gt. vj. misce diligenter pro massa, ex qua formentur pil. LX. deaur. add. pulv. cinnam.* Quum de pilulis istis quindecim mane cum regimine diætæ ad constitutum tempus sumpsisset, exoptatum levamen sensit, multòque liberius spiravit, unde sæpius harum pilularum virtutes mihi tergeminis laudibus extulit. Ad humores bronchia pulmonum obstruentes incidendos, & per screatum ejiciendos, magno etiam cum fructu usurpavit oleum sacchari compositum, cujus formula sequens est. ℞. *rad. ireos florent. enulæ pulv.*

ā ʒß

ã ℥ß. fruct. dactylor. passul. minor. purgat. ã ℨiij. cort. arantior. flor. benzoin. ã ℨij. croci oriental. ℨiß. infunde per biduum in spiritu vini rectific. mox separetur liquor per inclinationem, deinde admisce liquori saccharum candum albissimum, quantum in eo dissolvi poterit, postea accende spiritum vini spatula agitando, donec in æmulum olei liquorem flammâ extinctâ abierit, cui sub finem adde spiritum sulphuris ad gratam aciditatem.



OBSERVATIO XLII.
Tortura oris.

Vir quinquaginta annorum, catarrhis maximè obnoxius, tortura oris sive spasmo cynico correptus fuit: vesperi illum invisens julepum ad præparandos humores pituitosos præscripsi. ℞. *aq. betonic. fl. tiliæ ã ℥iß. syr. pœon. ℥j. spir. vitriol. gt. vj. F. julepus pro una dosi hora nona nocturna sumendus.* Secundo die mane pilulas purgantes usurpavit. ℞. *extr. catholic. cochiar. ã ℈ß. ol. salv. gt. ij F. pilulæ XV.* Tertio die venam in brachio dextro aperuit. Quarto die mane cucurbitulæ cum scarificatione scapulis admotæ, & vesperi vesicatorium cervici appositum, nec non trochisci masticatorii præscripti fuere. ℞. *rad. pyrethr. ℨj. mastich. elect. cubebar. piper. long. ã ℨß. theriac. mithrid. ã ℈j. mucilag. gummi tragacanth. & sacchar. ã q. s. F. s. a. trochisci masticatorii pro lubitu usurpandi.* Quinto die duos sacculos super tegulam lapideam excalefactam vino albo irroratam tepefactos præscripsi, quorum alter occipiti alter

alter maxillæ imponatur. ℞. *herb. betonic. salv. paralys. ivæ arthritic. ā Mj. flor. primul. ver. sambuc. stœchad. rorismar. ā Pj. baccar. junip. laur. ā ℥ij. incisa dentur ad chartam pro duobus sacculis.* Cùm sexto die symptoma nondum remitteret, manè sequentes pilulas præscripsi. ℞. *extr. pilul. aurear.* ℈*j. magist. radic. jalap. gr. v. ol. succin. gt. ij. F. pil. XI. deaur. & sumantur statim.* Septimo cucurbitulæ repetitæ sunt, nec non ad humores pituitosos à cerebro & parte affecta revellendos gargarismus & pulvis sternutatorius præscriptus fuit. ℞. *rad. pyrethr.* ʒ*ij. herb. betonic. salv. majoran. rorismar. chamæpith. ā M*ß. *sem. sinapi* ʒiß. *baccar. juniper.* ʒ*j. coq. in aq. fontan. q. s. in colat.* ℥*viij. solve oxym. scyllyt.* ℥*j. F. gargarismus tepidè usurpandus.* ℞. *flor. lil. convall. major. rorismar. betonic. ā* ℈ß. *radic. pyrethr. gr. vj. moschi oriental. ambr. ā gr. j. F. pulvis sternutatorius.* Octavo die ad robur cerebri sequens electuarium & trageam præscripsi. ℞. *conf. fl. betonic.* ℥*j. pœon.* ℥ß. *majoran.* ʒ*ij. cort. citri cond.* ℥ß. *nuc. indic. cond.* ʒ*ij. spec. diambr.* ℈*j. diamosch.* ℈ß. *syr. pœon. q. s. F electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucis moschatæ sumatur.* ℞. *spec. diamosch.* ʒ*ij. marchion.* ʒß. *diambr.* ℈*j. ol. cinnam. mac. ā gt. ij. sacch. rosat. tabul.* ℥*iij. F. s. a. tragea more consueto sumenda.* Cùm nono die tortura oris aliquatenus remitteret, jussi maxillam affectam bis de die cum sequente aqua tepidè illinire. ℞. *aq. vitæ cum castor. & mastich. ā* ℥iß. *salv.* ℥*ij. ol. still. rorismar.* ℈*j. Misce.* Formulæ prædictarum aquarum in *exercit. nostr. de apoplex.* §. *XII.* reperiuntur. Horum remediorum ope Æger secundam valetudinem impetravit, nullaque oris tortura ampliùs apparuit. Ad recidivam præveniendam jussi vere & autumno sequen-

tem

tem ſacculum purgantem uſurpare, & tempore vindemiali vinum medicamentoſum ex muſto recenti parare. ℞. *rad. pæon.* ℥iij. *herb. betonic. major. carduibened.* ā M ß. *ſummit. centaur. min. fl. lil. convall.* ā P j. *folior. ſenn elect.* ℥ij. *rhabarb. opt.* ℥ij. *ſem. aniſi* ℥i ß. *inciſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui menſura vini albi affundatur, de cujus colatura mane alternis diebus cum regimine diætæ* ℥vj. *ſumantur.* ℞. *radic. enulæ* ℥iiij. *lign. guajac. raſ.* ℥iij. *ſaſſafr.* ℥ij. *cort. arantior.* ℥j. *herb. betonic. ſalv. meliſſ.* ā M iiij. *agrimon. carduibened. ſummit. centaur. min. abſinth.* ā M ij. *inciſis affundantur* XL. *menſuræ muſti recentis albi, quod ſi deferbuerit, de illo cyathum plenum & manè & apud prandium pro primo hauſtu evacuare conducit.*



OBSERVATIO XLIII.

Convulſio Univerſalis.

Vir quinquaginta annorum, ſtrenuus combibonum amator, ad veſperam bene potus domum rediit: poſt aliquot horas in ſomno vomitum enormem patitur, quem convulſio univerſalis totius corporis mox comitata fuit. ℞. *aq. epileptic. in exercit. de apoplex.* §. XI. *deſcript.* ℥ij. *cardiac. offic. ibid. notatæ, aq. ceraſor. nigr.* ā ℥j. *ſacch. roſat. tab.* ℥ij. *ol. ſuccini rectif.* ℈ß. *miſce.* ſumpſit de hac aqua aliquot cochlearia plena, ſed mox redeunte convulſione & vomitu illam rejecit cum horrendo ejulatu, ſic ut etiam vicini è ſomno excitati fuerint; inſuper cervix ac initium ſpinalis medullæ ſe-

quenti aqua & linimento calidè illinita fuit. ℞. *aq. vitæ cum castor. & mastich. ā ℥ij. spir. cerasor. nigr. lilior. convall. ā ℥j. ol. succin. rorismar. ā ℈j. Misce.* ℞. *unguent. martiat. ℥iß. ol. lumbricor. terrestr. q. s. ol. still. lavendul. salviæ, ā ℈j. F. linimentum.* Ad vomitum compescendum regio stomachi sequenti balsamo inuncta fuit. ℞. *ol. nucistæ express. ʒij. bals. perruvian. liquid. ʒj. F. balsamum.* Ex usu horum remediorum Æger secundo die paulo melius se habuit, quia autem adhuc convulsio nunc pedem, nunc femora, nunc manus infestabat, mandavi illas partes prædictâ aquâ & linimento sæpius inungere. Tertio die convulsio & vomitus cessavit, quia autem de totius corporis lassitudine & madore conquerebatur, blandam potiunculam sudoriferam roborantem præscripsi. ℞. *lapid. bezoar. oriental. C.C. philosoph. præpar. ā ℈ß. aq. pæoniæ ℥ß. acetos. ʒij. Misce:* hinc modicè sudavit & optimè se habuit. Cùm quarto die omnia symptomata remitterent, sequentes pilulas præscripsi, & Ægro valedixi. ℞. *extr. catholic. aurear. ā ℈ß. mag. rad. jalap. gr. ij. ol. salviæ gt. ij. F. pil. xj. deaur. sumantur manè cum regimine diætæ.*



OBSERVATIO XLIV.

Febris hectica in Puerulo.

PUerulus trium annorum febre hecticâ laboravit, cui brachiis & pedibus atrophiâ flaccescentibus abdomen maximè intumuit: hinc sequens decoctum loco potus ordinarii bibit. ℞. *radic. gramin. ℥ß. acetos. chinæ recent. ā ʒij. incisa*

cisa coq. in aq. font. ad mensur. duas. Balneum ex æqualibus partibus aquæ fontanæ & lactis vaccini paretur, in quo manè & vesperi per horulam vel amplius sedeat. Post egressum è balneo pectus & abdomen sequenti linimento inungatur. ℞. *gummi ammoniac. in aceto scyllytic. solut.* ℥ß. *ol. cappar. amygdal. dulc. violar.* ā ℥ij. *unguent. resumptiv. q. s. F. linimentum:* quod etiam extra usum balnei manè & vesperi usurpetur. Pulticulæ parentur ex lacte caprino, hordeo, amygdalis &c. in quibus ut & aliis liquoribus convenientibus de sequente pulvere magnitudo nucis moschatæ concedatur. ℞. *Pulv. cachectic. D. Plateri* ʒiß. *ocul. cancr. præpar. rasur. eboris fæcul. radic. aronis* ā ʒß. *facch. rosat. tab.* ʒiij. *F. pulvis.* Formula pulveris, quem Vir Clarissimus, Magni FELICIS ex Fratre Nepos, FELIX PLATERUS, contra cachexiam infantum à qualicunque causa ortam feliciter præscripsit, sequens est. ℞. *radic. & semin. pœon. excort.* ā ʒj. *flor. rosar. rubr.* ʒß. *nuc. moschat. parum tosta* ℈ij. *baccar. laur. parum tostar.* ʒß. *spicæ, schœnanth. croci oriental.* ā℈j. *ventricul. & intestinor. gallinar. præpar.* ʒj. *croci martis aperitiv.* ʒiß. *cinnam. elect.* ℈j. *F. pulvis subtilissimus.*



OBSERVATIO XLV.
Febris continua putrida.

ADolescens octodecim annorum luxuriosè vivens à quatuor diebus febre correptus fuit: urgebat æstus igneus, pulsus celer & inæqualis, dolor capitis, sitis & vigiliæ, unde fe-

brem continuam putridam esse judicavi. Vocatus statim in brachio dextro venam Chirurgo magis conspicuam aperire jubeo, & sequentem julepum pro duabus dosibus præscribo. ℞. *aq. cichor. acetos.* ā ℥iij. *syr. berber. papav. erratic.* ā ℥j. *spir. vitriol. gt. x. Misce.* Secundo die sequentem emulsionem duabus vicibus usurpavit. ℞. *amygdal. dulc. rec. excort.* ℥ß. *semin. cucum. melon.* ā ʒij. *aq. cichor. acetos. plantagin.* ā ℥ij. *F. emulsio, cui adde sacch. rosat. tab.* ʒij. *Misce.* Die tertio, quia erat morbi septimus & criticus, cùm corpus madidum observarem, blando diaphoretico sudorem promovi. ℞. *lapid. bezoar. oriental.* ℈ß. *C. C. philosoph. præpar. gr. viij. F. pulvis*: unde blandè sudavit. Quarto die propter alvi constipationem clyster emolliens & refrigerans injectus fuit. ℞. *rad. acetos.* ℥j. *herb. malv. cichor. parietar.* ā *Mj. flor. violar. Pj. coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥viij. *solve elect. diacatholic.* ℥j. *mell. violar.* ℥ij. *F. clyster*: inde aliquoties dejecit, simulque quatuor lumbricos vivos excrevit. Cùm nullus dubitarem, quin pulvis præcedens bezoardicus contra lumbricos maximè proficuus in horum expulsione multum præstiterit, Æger illum quinto die iterum usurpavit, hinc rursus duo lumbrici expulsi fuere. Quum die sexto, qui erat morbi decimus, calorem mitigatum ac urinam cum laudabili sedimento observassem, manè potiunculam purgantem præscripsi. ℞. *elect. de succo rosar.* ʒiij. *aq. cichor. q. s. F. potiuncula*: unde octies cum levamento dejecit, & febris cum suis symptomatibus evanuit.

OBSER-



OBSERVATIO XLVI.

Tußis contumax cum ortopnœa.

Mercator quadragenarius in frequentandis nundinis ſedulus, tuſſi contumaci & catarrho ferino ad pulmones delapſo per aliquot menſes laboravit, cui noctu ſæpiùs orthopnœa aceeſſit, ſic ut erectâ cervice cum ſuffocationis metu reſpiraret. Primo die circa veſperam acceſſitus ſyrupum pro tuſſi & orthopnœa convenientem præſcripſi. ℞. *ſyr. alth. F.* ℥iß. *jujub. farfar.* ā ʒvj. *oxymel. ſcyllyt.* ℥ß. *eſſent croci* ℈j. *aq. cinnam.* ℥ß. *miſce: de quo aliquot cochlearia plena aſſumat*: ad intercipiendas defluxiones noctu haſce pilulas degluriat. ℞. *maſſ. pilul. de cynogloß. gr. iij. laud. opiat. gr. j. F. pil. v. deaurentur.* Secundo die pro potu ordinario ſequens decoctum præſcriptum & pedum balneum paratum fuit. ℞. *rad. acetoſ.* ℥ß. *liquir. raſ.* ʒij. *herb. ſcabioſ. farfar. pulmonar.* ā *Mj. jujubar. recent. par. vj. ſiliquar. recent.* ℥ß. *ſem. aniſi* ʒij. *inciſa coq. in aq. fontan. q. ſ. ad menſuras duas.* ℞. *herb. betonic. ſalviæ, puleg. origan. hyſſop.* ā *Mij. flor. chamæm. lavendul.* ā *P. ij. baccar. laur. juniper.* ā ℥ß. *ſalis* ʒij. *inciſa dentur ad chartam pro pedum balneo.* Tertio die elixir purgans uſurpavit. ℞. *elix. vitæ Matthiol.* ʒiß. *magiſt. rad. jalap. gr. xij. ſolvatur ad ignem & detur ad uſum*: unde aliquoties dejecit & tuſſis mitigata fuit. Veſperi trochiſcos præſcripſi, quibus præſertim noctu utatur. ℞. *ſucci liquirit. recent.* ʒij. *ſpec. diairios ſimplic.* ℈iiij. *ſem. papav.*

alb. ℈ij. fæcul. rad. aronis. ℈j. mucilagin. gumm. tragacanth. & facch. opt. ā. q. s. ol. anisi gt. vj. F. s. a. trochisci sublinguales. Quarto die rotulas convenientes præscripsi. ℞. *spec. diairios simplic.* ʒiß. *diatrag. frig.* ʒß. *fæcul. radic. aron. bryon. ā* ℈ij. *lact. sulphur.* ℈j. *confect. alkerm.* ʒij. *ol. anisi gt. vj. sacch. opt. aq. farfar. & cinnam. sol.* ℥iiij. *F. s. a. rotulæ pro lubitu usurpandæ.* Quinto die cum ob constitutionem aëris pluviosam & nimis frigidam novos catarrhi & hinc nascentis orthopnœæ insultus Æger metueret, hac aquâ obviam itum fuit. ℞. *aq. antiasthmatic. in parte poster. exercitat. de apoplex.* §. 11. *descript.* ℥ij. *elix. vitæ Matthiol.* ʒß. *cerasor. nigr.* ℥j. *julep. rosat.* ℥iß. *Misce, sumat aliquoties cochlear plenum.* Sexto die sequens electuarium præscripsi. ℞. *elect. de pulmon. vulp. supra observat. XVI. descript.* ℥ij. *conserv. rosar. rubr.* ℥j. *lact. sulphur.* ʒß. *fæcul. rad. bryon. aron. ā* ℈j. *ol. anisi gt. vj. syr. alth. Fern. farfar. ā q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur:* ex hujus aquæ & electuarii usu sedulo Æger liberius exspuit, & facilius respiravit. Sub finem curæ cùm formulam vini medicamentosi à me peteret, sequentem præscripsi. ℞. *rad. enulæ* ℥iiij. *ireos florent. sarsaparill. ā* ℥ij. *Lign. sanct. ras.* ℥iij. *sassafr.* ℥iß. *cort. arantior.* ℥j. *herb. veronic. scabios. farfar. pulmonar. ā* Miiij. *carduibened. summit. centaur. min. absinth. ā* Mij. *incisa & sacculo inclusa indantur doliolo, cui affund. vini alb. veter. mensuræ XL. & per octiduum quiescant.* In prandio & cœna primum cyathum plenum evacuare conducit.

OBSER-

OBSERVATIO XLVII.

Tormina post partum.

PUerpera Cognata mea puerulum feliciter enixa acerbissimis post partum torminibus correpta fuit, sic ut etiam convulsiones metuerentur. Vocatus manè jussi illam *olei amygdal. dulc. recent. uncias duas* cum jusculo carneo assumere & clysterem usurpare. *℞. rad. alth. ℥j. herb. 4. emollient. melissæ ā Mj. flor. sambuci Pj. sem. lini ℥ß. anisi ʒij. coq. in aq. font. q. s. in colat. ℥x. solve mell. anthosat. violar. ā ℥iß. ol. cheirin. ℥ß. F. clyster.* Dolores sub vesperam mitigati ab usu sequentis electuarii & sacculorum omnimodò cessarunt. *℞. conf. fl. betonic. ℥iß. major. meliss. nuc. indic. cond. ā ʒij. cort. citri cond. ℥ß. ol. anisi gt. iiij. syr. pæon. q. s. F. electuarium; de quo nucistæ magnitudo ad beneplacitum sumatur. ℞. rad. alth. ℥iß. herb. malv. violar. meliss. artemis. ā Mij. flor. cheir. sambuc. ā Pij. semin. lin. ℥ß. carui ʒiij. baccar. junip. ʒij. incisa dentur ad sacculos duos quadratos in lacte coquendos & hypogastrio tepidè alternatim applicandos.* Si molestissima tormina à partu hisce remediis non cedant, suaderem oleum *Riverianum*, quod in officinis pharmaceuticis asservari potest. *℞. rad. aristoloch. rotund. ireos florent. pœoniæ ā ℥ß. cyper. ʒij. herbar. siccar. artemis. matricar. origan. calamenth. puleg. dictamn. cretic. absinth. sabin. rutæ, betonic. salu. ā Mß. flor. anthos. stœchad. lavendul. chamæm. aneth hyperic. sambuc. ā Pj. baccar. lauri, juniper. ā ʒij. sem. cumin. rutæ, pœon. dauci, vitic. ā ʒiß. ca-*

ryophyll. nucist. cinnam. Zingiber. ā ℥j. omnia contusa & incisa misceantur, ac in olei veter. ℔iij. macerentur, stent per septimanam in vase vitili clauso, dein supra cineres calidos spacio quatuor aut quinque horarum bulliant, postea oleum exprimatur & ad usum asservetur.



OBSERVATIO XLIIX.

Cardialgia.

VIr nobilitatis stemmate conspicuus in arce *Zuingensi* mihi retulit, se aliquoties intolerabilem ardorem ventriculi ad pectus imò fauces ipsas ascendentem pati, præsertim si nocte præcedente aliquantum floribus *Liberi Patris* conspersus fuerit. Cùm pulverem meum contra cardialgiam ordinarium ad manus haberem, ipsius amicæ petitioni annuens de illo concessi: elapsis aliquot mensibus mihi indicavit, se ab usu hujus pulveris nullum ardorem ventriculi amplius sensisse. Formula pulveris mei contra cardialgiam ordinarii sequens est. ℞. *ocul. cancr. cretæ, ā ℥ij. crystall. præpar. boli armen. corall. rubr. lapid. Judaic. præpar. ā ℥j. margarit. præpar. ℈j. cinnam. elect. ℈ß. lapid. carpion. ℈j. bezoar. oriental. macis, nucistæ, croci oriental. ā ℈ß. F. pulvis subtilissimus, dosis est circiter scrupulus.*

OBSER-



OBSERVATIO XLIX.

Ventriculi dolor cum tumore.

VIr quinquaginta annorum de interno ventriculi dolore mihi conqueſtus eſt, tumor circa regionem ſtomachi extrinſecè apparuit & appetitus proſtratus fuit. Primo die ſequentem pulverem præſcripſi. *℞. tartar. vitriolat. ex ſale tartar. cryſtall fact. ℈ij. ſal. abſinth. ℈j. F. pulvis ſubtiliſſimus, dividatur in tres partes æquales pro tribus doſibus matutinis*: exacto triduo pilulas purgantes uſurpavit. *℞. extr. pilul. cochiar. gr. xv. catholic. gr. v. mag. rad. jalap. gr. ij. ol. macis gt. ij. F. pilulæ XI. deaurentur & ſumantur cum regimine diætæ.* Inde & dolor & tumor ventriculi remiſit, hinc ob appetitum proſtratum, nimiam flatuum copiam, & manifeſtam cerebri humiditatem ſequens tragea à me præſcripta fuit. *℞. Tragea ſtomachica & cephalic. officinal. ā ℥j. ſpec. aromat. roſat. ʒij. diarrhod. abbat. ʒj. ol. cinnam. macis. ā gt. ij. ſacch. roſat. tabul. ℥iiij. F. s. a. tragea conſueto more uſurpanda.* Formula trageæ ſtomachicæ & cephalicæ per plurimos annos in officinis *Baſileenſibus* pharmaceuticis conſuetæ & maximè proficuæ ſequens eſt. *℞. Cinnam. elect. ʒvj. zinziber. ℥ß. galang. ʒiß. macis. ʒj. nuc. moſch. ʒiß. caryophill. ʒj. ſacch. opt. ℥xxij. F. s. a. tragea ſtomachica. ℞. cinnam. opt. ʒij. ſem. coriand. præpar. ℥ß. ſantal. rubr. ℥j. zingiber. caryophyll. galang. zedoar. cardamom. granor. parad. nuc. moſch. ſpic. indic.*

indic. majoran. salv. sem. erucæ cubebar. ā ʒj. sacch. opt. ℥xvj. F.s.a. tragea cephalica.



OBSERVATIO L.

Partus difficilis.

Honestissima Matrona doloribus partus per biduum frustra defatigata meam præsentiam efflagitavit. Cùm alvus fuerit adstricta & facultas expultrix uteri languida, mox clysterem injicere jussi. ℞. *rad. alth.* ℥j. *herb. parietar. malv. meliss. artemis. ā Mj. flor. chamæm. Pj. sem. lini* ℥ß. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥viij. *solv. mell. anthos.* ℥ij. *ol. cheirin.* ℥ß. *F. clyster*: unde aliquoties dejecit, & majus facultatis uteri expultricis robur sensit. Quapropter statim ad fœtus conservationem & partus accelerationem sequentia remedia præscripsi. ℞. *aq. embryon.* ℥j. *artemis.* ℥iij. *pulegii* ℥iß. *cinnam.* ʒß. *sacch. opt.* ʒij. *Misce, sumatur duabus vicibus.* ℞. *succini albi præpar. cinnam. croci opt.* ā ℈ß. *F. pulvis subtilissimus pro una dosi in jusculo carneo sumendus.* ℞. *ol. cheirin.* ℥ß. *lil. albor. chamæm.* ā ʒij. *unguent. resumptiv. q. s. F. linimentum, quo uteri regio calidè illinatur.* Ex usu horum remediorum Matrona ista puerulum vivum & incolumem enixa fuit. Hasce formulas mihi communicavit D. MATTHIAS HARSCHERUS Basil. Archiater & Academiæ quondam Antecessor, quē Agnatum meum propter feliciter exercitam tum in Patria, tum apud Exteros praxin medicam,

nec

nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

OBSERVATIO LI.
De usu cantharidum.

Miles *Rheinfeldensis* sponsus, ad languidos *Veneris* stimulos suscitandos pulverem cantharidum spontè usurpavit, paulò post in urina reddenda tantum ardorem & dolorem cum sanguinis mictu passus erat, ut *Basileam* se conferre & auxilium meum implorare coactus fuerit. Præscripsi sequentia remedia, quæ juxta potum lactis vaccini ordinarium per aliquot dies usurpavit. ℞. *amyg. dulc. rec. excort.* ℥j. *semin. cucum. melon. rec. excort.* ã ℥ß. *papav. alb.* ʒij. *aq. malv. plantagin.* ã ℥iij. *violar. rosar.* ã ℥j. *F. emulsio, adde sacch. rosat. tab.* ℥ß. *C. C. philosoph. præpar.* ℈ij. *Misce pro aliquot dosibus.* ℞. *ol. violar. rosar. nymphææ*, ã ʒij. *unguent. rosat. q. s. F. linimentum, quo vesicæ regio tepidè illinatur.* Hinc omnis urinæ ardor & mictus sanguinis cessavit. Cantharides in milite isto tam dolorifica symptomata hanc ob causam excitarunt, quoniam illas in majore copia devoravit, nam bona fide attestari possum, me pulverem *cantharidum* in minore dosi cum *ocul. cancr. rosar. ebor.* & *sal. ononid.* ã ʒß. mixtum pro quatuor dosibus in hydrope ascite cum magno ægrotorum levamine præscripsisse. Alium tutissimum & lectu dignissimum modum, nempe per infusionem proponit

ponit *Thomas Bartholinus cent. V. histor. medic. rarior. LXXXII.* Scrupulus unus cantharidum in pulverem redactus infundatur unciis tribus vel quatuor vini Rhenani vel spiritus vini, stetque in infusione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur, ut ex substantia cantharidum nihil admisceatur. Ex colato liquore cochlear unum septem aliis seu vini seu cerevisiæ admisceatur, & ex hoc mixto primo die unum, altero duo cochlearia & sic deinceps propinentur: in gonorrhœa virulenta, lotii suppressione & calculo felicem hujus præparatæ potionis eventum expertus est D. *Jac. Fr. Kotzbac*, Vir medicâ eruditione & experientia inclytus, cui meum hoc Lector debet.



OBSERVATIO LII.

De calculo vesicæ.

Viro Clarissimo & Eruditissimo

DN. JOH. MELCHIORI WALTERO

Medicinæ Doctori & Physico

Tannensi meritissimo

Amico meo colendo

BERNHARDUS VERZASCHA

S.P.D.

Clarissime Domine Doctor

Ex erudita epistola Tui amoris & favoris plena plenius & planius intellexi, Nobilissimum istum Dominum sententiam nostram, quòd nempe in

pe in illius vesica calculus lateat, ex instinctu aliorum solam hanc ob causam non amplius approbare, quia Lithotomus ex immissione catheteris nullum in vesica calculum deprehendit. Rectè mones Vir Clarissime, summè necessarium esse, ut nostra sententia firmis rationibus suffulciatur & Nobilissimo isti Domino ad oculum demonstretur, explorationem catheteris indubitatum calculi absentis signum nequaquam exhibere, quod certè mihi facillimum erit; nam indicata per schedulam à nobilissimo Domino transmissam symptomata & signa satis superque declarant, calculum in vesica hærere. Experitur Nobilissimus Dominus in collo vesicæ manifestum dolorem, qui circa finem mictionis exasperatur, & ad glandis extremum porrigitur. Adest mingendi difficultas cum micturiendi conatu, urinæ stillicidio & ani tenesmo. Accedit inter mingendum suppressio urinæ, quæ in medio cursu intercipitur. Certè hæc omnia ὀφθαλμοφανερῶς demonstrant, nobilissimi istius Domini vesicam calculo laborare. Hoc unicum superest, ut palmarium illud de catheteris exploratione argumentum, quod Nobilissimus Vir ex insusurratione aliorum tam fortiter urget, paulò latiùs examinem. Jam olim in *River. contract. lib. XIV. cap. II.* monui, quòd catheter immissus *SAEPE* calculum indicet, quamvis illud *SEMPER* præstare non possit, præsertim quando calculus à collo vesicæ distat, vel glutinosis humoribus involvitur, aut membranâ propriâ inclusus est: hinc in *eodem capite* illorum inscitiam aut si mavis invidiam improbavi, qui statim inflatis baccis proclamant, nullum

tomia vesicæ cap. IIX. atteſtatur, quod *Anno M. DC. X. Basileæ* una cum doctiſſimis & celeberrimis Medicis Dn. *Felice Platero* & Dn. *Casparo Bauhino* ad primarium Nobilem Alſatam vocatus fuerit, qui à multis annis calculo atrociter divexabatur, nullus tamen Lithotomus calculum cathetere deprehendit; quamvis ſimul experientiſſimos Medicos adhibuerit, imo ipſemet *Fabricius Hildanus* ſummâ licèt adhibitâ diligentiâ nunquam efficere potuit, ut digito vel inſtrumento calculum in veſica offenderet: attamen poſt illius diſceſſum Dn. D. *Bauhinus* ingentes aliquot calculos peculiari ſacculo veſicæ annato incluſos invenit. Inſuper quàm lubrica immiſſi catheteris exploratio ſit, exemplum funeſtũ præbuit Vir Amplisſimus & Prudentisſimus, DN. JACOBUS HUMMELIUS, Tribunus Plebis ſpectatisſimus, apud quem licet omnia calculi ſigna exactè obſervata fuerint, ille tamen per immiſſum catheterem explorari nequivit, unde etiam illius honoratiſſima Familia, Clariſſimi *Felicis Plateri*, meamq; de calculo veſicæ præſenti ſententiam in dubium vocarunt: ſed poſt beatum Tanti Viri obitum juſſu Familiæ *Dn. Platerus* abdomen aperuit, & in veſica calculum nuci juglandi non abſimilem humoribus pituitoſis & propriâ quaſi veſiculâ obvallatum invenit. Plura alia exempla de fallace catheteris uſu in explorandis veſicæ calculis ſuppeditat major Avunculus Tuus, Vir excellentiſſimus, *Johannes Schenckius lib. III. de calcul. veſic. obſervat. III.* qui liber cùm tibi ſit ad manus, & ne epiſtolæ limites tranſcendere videar, illa heic recenſere ſupervacaneum eſſe judico. Sufficiunt hæc

ad

ad vindicandam nostram sententiam contra Lithotomi & aliorum Censorum judicia. Verùm enimverò operæ pretium erit, epistolam hanc descriptam Nobilissimo isti Domino transmittere, ut solidis istis rationibus convictus videat, nostram sententiam firmo talo inniti, econtra Lithotomi Zoili & illius sociorum opinionem de exploratione catheteris esse

Doctis incertam & tenui tibicine fultam.

Vale Vir Clarissime feliciter, & me sedulum nominis tui cultorem & famæ Vindicem porro, ut facis, amare perge. *Basileæ die V. April. Ann.* CIↃ IↃC LXX.



OBSERVATIO LIII.

Pestis.

CUm *anno* CIↃ IↃ C LXVII. mense *Augusto* truculenta pestis apud nos grassari inciperet, Amplissimo & Gratiosissimo Magistratui nostro in publico consessu sedulam operam pollicitus, dilectissimæ Patriæ afflictæ (quod ἀβαναύσως refero) diesque noctesque, ut verum Christianum Medicum decet, suppetias attuli: methodum autem medendi, qualem in visitandis Ægris lue pestifera infectis usurpare consueveram, Proli Asclepiadeæ in sequentibus observationibus candidè revelabo.

Primo Octobris die, inclytus Patriæ Pater, Vir Amplissimus & Prudentissimus, DN. JOHANNES LUDOVICUS KRUGIUS, illustris REIP.

REIP. BASIL. Consul, Majorum & propriâ famâ spectatissimus, ad juvenem suum Famulum ex honesta familia *Ratisbonensi* oriundum, me vocare jussit. Cùm omnia febris pestilentis signa in illo observassem, mox duas potiunculas sudoriferas præscripsi, quarum priorem horâ tertiâ pomeridianâ, posteriorem autem horâ decimâ nocturnâ assumpsit, & exinde bis blandè sudavit. *℞. Pulv. pannonic. rubr. ℈j. lapid. bezoar. oriental. ℈ß. aq. acetos. ℥j. syrup. citri ʒß. misce. ℞. aq. theriac. nostr. ℥iß. succisa syr. citri ā ℥j. misce.* [Formula aquæ theriacalis nostræ sequens est. *℞. radic. tormentil. vincetoxic. petasitid. succis. angelic. valerian. aristoloch. ver. ā ℥j. herb. dictamn. scabios. scord. rutæ, carduibened. ā Mij. flor. 4. cordial. ā Pij. pomor. citr. num. XII. theriac. opt. mithridat. opt. ā ℥iß. croci oriental. ʒß. camphor. ʒij. vini alb. tenuior. q. s. ut aliquot digitis superemineat, aceti rosat. ℥iiij. rutac. ℥ij. postea s. a. in B. M. destillentur: dosis est ab ℥j. usque ad ℥ij. vel per se vel cum aliis mixta.*] Pro potu ordinario sequens decoctum bibit. *℞. C. C. ras. ʒiij. coq. in aq. font. q. s. in colatura mensura unius solve syr. berber. papav. rhead. de succo citr. ā ℥ij. spirit. sulphur. ℈ij. misce.* Secundo die bubo in inguine dextro se manifestavit, hinc mandavi Chirurgo, ut vesicatorium in parte tumoris inferiore applicaret, & cataplasma meum ordinarium buboni imponeret, simulque faucibus inflammatis consueto gargarismo succurreret: eodem die Æger prædictas potiunculas diaphoreticas repetiit, quarum priorem horâ septimâ matutinâ, posteriorem tertiâ pomeridianâ assumpsit, & rursum bis cum εὐφορίᾳ sudavit. Ad vesperam rediens, cùm Æger de siti & calore febrili intenso ac

continuo vomendi conatu conqueretur, sequentia remedia præscripsi. ℞. *aq. acetos. succis.* ā ℥iiß. *syr. corallor.* ℥j. *papav. rhead.* ℥ß. *spir. sulphur. gt. vij. F. julepus pro duabus dosibus.* ℞. *roob ribium* ℥j. *cons. acetos. citri* ℥ß. *confect. alkerm. hyacinth. incompl.* ā ʒj. *C. C. philos. præparat.* ℈j. *spec. pannonic. rubr. liberant.* ā ℈ß. *syr. corallor. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum sumat.* ℞. *ol. nuc. mosch. express.* ʒj. *balsam. perruvian. liq.* ʒß. *ol. stillat. arantior.* ℈ß. *angel. gt. v. F. balsamum, quo scrobiculus cordis dictus inungatur.* Cùm tertio die summo mane ægrum viribus prostratum animadvertissem, conquesta mihi est mulier clinica, Chirurgum præcedenti die quidem vesicatorium & cataplasma admovisse, sed vesperi contra mandatum meum emansisse: quamprimum vocavi Chirurgum & supinam illius negligentiam nullis modis excusandam severè objurgavi, præsertim cùm remoto vesicatorio & cataplasmate amplius bubo non apparuerit: inde colligebam, functiones vitales à retrò meatu veneni pestilentialis oppressas esse, hinc omni studio contendebam, illud remediis sudoriferis roborantibus à corde ad corporis superficiem repellere, quapropter statim sequentes potiunculas diaphoreticas præscripsi, quarum priorem eodem manè & posteriorem horâ tertiâ pomeridianâ usurpavit. ℞. *aq. acetos.* ℥ij. *syr. citri* ℥iß. *mithrid. opt.* ʒj. *spec. liberant.* ℈j. *misce.* ℞. *aq. acetos.* ℥ij. *syr. citri* ℥iß. *theriac ver.* ℈ij. *pulv. pannonic. rubr.* ℈ß. *lapid. bezoar. oriental. gr. iiij. Misce.* Ad virium robur conservandum sequens aqua cardiaca præscripta fuit: ℞. *aq. cardiac. officin. acetos. nymphææ* ā ℥iß. *syr. pœon.* ℥j. *citri* ℥ß. *julep. rosar.* ℥iij. *confect. alkerm. incompl.* ʒj. *spec. liberant.*

rant. pulv. pannonic. rubr. C.C. philosoph. præpar. ā ℈ß. misce. Quarto die propter metum paraphrenitidis manè potiunculam bezoardicam & linimentum cephalicum præscripsi. ℞. *lapid. bezoar. oriental. C.C. philos. præpar. ā ℈ß. aq. nymph. ℥j. syr. citri ʒß. misce, sumatur statim.* ℞. *unguent. alabastr. ʒij. ol. still. citri ʒß. F. linimentum ad formam balsami, quo tempora inungantur.* Vesperi julepum præscripsi. ℞. *aq. nymph. ℥iij. rosar. ℥j. syr. papav. erratic. ℥iß. citri ß. spir. sulphur. gt. ℥viij. F. julepus pro duabus dosibus nocturnis.* Quinto die ob delirium continuum & potiuncula bezoardica & julepus repetitus fuit. Sexto die propter urgentem paraphrenitidem sequenti potiunculâ usus fuit, cujus dimidiam partem manè, alteram vesperi assumpsit. ℞. *aq. theriacal. nostr. scordii, nymphææ, ā ℥ij. syr. de succo citr. ℥iß. rub. idæi ℥j. confect. alkerm. incompl. ʒj. spec. liberant. pulv. pannonic. rubr. ā ℈ß. misce.* Septimo die Ægrum periculosissima diarrhœa cum virium jactura & siti immensa comprehendit, hinc sequentem potum ordinarium & julepum præscripsi. ℞. *C.C. ras. ℥ß. rad. tormentil. acetos. ā ʒij. coq. in aq. font. in colatur. mensuræ unius solve syr. corallorum ℥ij. rubi idæi, granator. ribium ā ℥j. spir. sulphur. ℈j. misce pro potu ordinario.* ℞. *aq. acetos. ℥iij. plantagin. syrup. corallor. rubi idæi, ā ℥j. F. julepus pro duabus dosibus.* Die octavo fluxus alvi adhuc duravit, hinc jussi emulsionem amygdalinam cum decocto C.C. paratam etiam pro potu ordinario & præcedentem julepum rursus exhibere. Die nono ob durantem alvi fluxum sequens emulsio præscripta fuit. ℞. *amygdal. dulc. recent. excortic. ℥ß. sem. cucum. melon. recent. excortic. ā ʒij. papav. alb. ʒj. aq. acetos. ℥iiij. plantag. ℥ij. F. emulsio,*

ad. facch. rofat. tab. ℥ij. C. C. *philofoph. præpar.* ℈j. *mifce pro duabus dofibus.* Die decimo delirium & fluxus alvi ceffavit, econtra tuffis moleftiffima ægrum corripuit, contra quam fequentia remedia præfcripfi. ℞. *aq. fcabiof. acetof. farfar.* ā ℥ij. *fyr. violar. purpur. granator.* ā ℥j. *fpir. fulphur. gt. vj.* F. *julepus pro duabus dofibus.* ℞. *fyr. farfar. papav. rhead. berber.* ā ℥j. *aq. farfar.* ℥ß. *mifce, de quo fæpe cochlear. plenum affumat.* Undecimo die, cùm tuffis nondum remitteret & ægrum maximè debilitaret, fequentes rotulas ufurpavit. ℞. *confect. alkerm.* ℨj. *fpec. diairios fimpl.* ℨiß. *diatrag. frig. liberant.* ā ℈j. *facch. opt. aq. farfar. folut.* ℥iij. F. *s. a. rotulæ.* Duodecimo die contra moleftiffimam hanc tuffim pro potu ordinario fequens decoctum & julepum præfcripfi. ℞. *radic. liquir. raf.* ℨj. *acetof.* ℨij. *jujubar. recent. num. iiij. coq. in aq. fontan. q. f. in colatur. menfur. unius folve fyr. violar. purpur.* ℥iiij. *papav. erratic. granator.* ā ℥ij. *fpir. fulphur.* ℈ij. *mifce pro potu ordinario.* ℞. *aq. fcabiof.* ℥iiij. *farfar.* ℥ij. *fyr. violar. purpur.* ℥iß. *papaver. erratic.* ℥ß. *fpir. fulphur. gt. vj.* F. *julepus pro duabus dofibus.* Decimo tertio die Æger blandam potiunculam purgantem ufurpavit. ℞. *mannæ Calabrin. elect.* ℥ij. *aq. farfar. q. f.* F. *potiuncula:* unde aliquoties dejecit. Ex talium remediorum ufu diligente tuffis reliquaque peftis fymptomata ceffavere, nihilominùs ad robur virium recuperandum fequentem trageam præfcripfi. ℞. *fpec. de hyacinth. diatrionfantal. diamargar. frig.* ā ℨj. *ocul. cancr. præpar.* ℨiß. *facch. rofat. tabul.* ℥iiij. F. *s. a. tragea mane & vefperi confueto modo ufurpanda.* Hinc Æger omnimodè convaluit. Cùm de reftituta Filii valetudine fecunda exoptatum hoc nuncium Pater per literas refciviffet,

viſſet, ille prolixas gratias mihi referendo ſimul per manum candidam præfati ampliſſimi Domini Conſulis honorario lauto me muneravit.

OBSERVATIO LIV.

Peſtis.

Civis honeſti Uxor dilectiſſima ad diem quintum menſis *Septembris* peſte correpta fuit. Vocatus ſtatim ſequentem potiunculam ſudoriferam præſcripſi. ℞. *aq. theriacal. noſtr.* ℥iß. *ſucciſæ ſyr. citri* ā ℥j. *miſce:* hinc cum levamine ſudavit. Bubonem in inguine dextro apparentem juſſi Chirurgum meâ methodo ordinariâ tractare, quam inferiùs in ſingulari obſervatione proponam. Veſperi ad dolorem capitis & æſtum febrilem mitigandum emulſio præſcripta fuit. ℞. *amyg. dulc. recent. excortic.* ʒiij. *ſem. cucum. melon. recent. excortic.* ā ʒij. *papav. albi* ʒj. *aq. acetoſ. ſucciſ.* ā ℥iij. *F. emulſio add. ſacch. roſat. tabul.* ℥ß. *C. C. philoſoph. præpar.* ℈ij. *miſce pro duabus doſibus nocturnis.* Pro potu ordinario *decoctum C. C.* bibit, cujus cyatho pleno de ſequentibus ſyrupis aliquot cochlearia admiſcebantur. ℞. *ſyr. berber. citri* ā ℥ij. *papav. rhead.* ℥iß. *ſpir. ſulphur.* ℈ij. *miſce.* Secundo morbi die manè iterum potiunculam ſudoriferam uſurpavit. ℞. *pulv. pannonic. rub.* ℈j. *lapid. bezoar. oriental. ver.* ℈ß. *aq. acetoſ.* ʒvj. *ſyr. citri* ʒiij. *miſce:* unde rurſus blandè ſudavit. Cùm veſperi redirem, & ægra de inſigni dolore

capitis & æstu febrili ac triduanâ alvi constipatione conquereretur, sequentia remedia præscripsi. ℞. *unguent. alabastr.* ʒij. *ol. destillat. citri* ℈j. *F. linimentum frontale.* ℞. *roob ribium* ℥iß. *conserv. acetos. citri* ℥ß. *C.C. philosophic. præparat.* ℈j. *spec. liberant. pannonic. rubr.* ana ℈ß. *syr. berber. q. s. F. electuarium, de quo pro lubitu magnitudo avellanæ sumatur.* ℞. *rad. scorzoner. alth.* ana ℥j. *herb. scord. betonic. malv.* ana Mj. *sem. anis.* ʒij. *coq. in aq. fontan. q. s. in colat.* ℥x. *solv. elect. diacathol.* ℥j *mell. violar.* ℥iß. *F. clyster.* Tertio die natura ad sudorem sponte inclinavit, hinc ægra sequentem potiunculam diaphoreticam usurpavit. ℞. *aq. theriacal. nostr.* ℥iß. *syr. citri* ℥j. *misce.* exin blandè sudavit: vesperi præcedens emulsio reiterata, & ad virium robur conservandum aqua cardiaca præscripta fuit. ℞. *aq. cardiac. offic. succis. pœoniæ,* ana ℥j. *syr. citri* ℥ß. *confect. alkerm. incompl.* ʒj. *misce.* Quarto die præcedens electuarium repetitum & sequentes rotulæ pro virium robore præscriptæ fuerunt. ℞. *confect. alkerm. incompl.* ʒj. *spec. liberant. pulver. pannonic. rubr.* ana ℈ij. *sacch. opt. aq. borragin. solut.* ℥ij. *F. s. a. rotulæ pro beneplacito usurpandæ.* Quinto die usum prædictorum remediorum continuavit. Sexto potiunculam sudoriferam cum levamine, & septimo die emulsionem prænominatam repetiit. Octavo die, cùm omnia pestis symptomata ferè disparuissent, Ægræ valedixi.

OBSER-

OBSERVATIO LV.

Pestis cum anthrace.

VIr quadraginta annorum peste correptus ad vesperam me vocavit: conquestus fuit de insigni præcordiorum angustia, calore febrili & dolore capitis; hinc sequentem potiunculam diaphoreticam præscripsi. ℞. *theriac. Andromach.* ʒj. *elect. diascord. Fracastor.* ʒß. *pulv. pannon. rubr.* ℈j. *aq. acetos.* ℥iij. *misce:* sumpsit statim, & noctu blandè sudavit. Secundo die summo manè accedens observavi in brachio dextro anthracem, quem ordinariâ meâ medendi methodo (cujus in observatione propria inferiùs mentionem faciam) tractare Chirurgum jussi, simulq; sequens potiuncula sudorifera præscripta fuit. ℞. *electuar. diascord. Fracastor.* ʒj. *mithrid. opt.* ʒß. *spec. liberant.* ℈j. *aq. succisæ* ℥ij. *misce:* exin rursus cum levamine sudavit. Pro potu ordinario decoctum C. C. limati bibit. Tertio die ad majorem veneni pestilentis expulsionem sequens electuarium præscripsi. ℞. *conf. rosar. rubr.* ℥j. *acetos. citri, radic. enulæ cond. roob ribium ā* ʒß. *elect. diascord. Fracastor.* ʒij. *pulver. pannonic. rubr.* ℈j. *liberantis* ℈ß. *C.C. philosophic. præpar.* ʒß. *syr. berber. q. s.* F. *electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ sumatur.*

Unde ex usu horum remediorum convalescenti Ægroto valedixi.



OBSERVATIO LVI.

Pestis cum bubone.

Virum triginta annorum noctu pestis aggressa est: manè ad illum vocatus statim potiunculam diaphoreticam præscripsi. ℞. *elect. diascord. Fracastor.* ʒj. *theriac. Andromach.* ʒß. *sal. absinth.* ℈ß. *aq. carduibened.* ℥ij. *misce, sumatur statim.* hinc æger copiosè sudavit, & in inguine dextro apparuit magnus bubo, quem Chirurgus juxta meam medendi methodum tractavit. Pro potu ordinario sequens decoctum bibit. ℞. *C. C. limat.* ℥ß. *coq. in aq. fontan. q. s. in colat.* ℔vj. *solve sacch. rosat. tabul.* ℥j. *nitri præpar.* ʒiij. *sal. absinth.* ʒj. additum fuit sal absinthii ob continuum vomendi conatum, qui ægrum discruciabat. Secundo die prædictam potiunculam diaphoreticam cum magno levamine rursum usurpavit. Tertio die ad propulsionem veneni sequens electuarium præscripsi. ℞. *conserv. rosar. rubr. roob ribium* ā ℥j. *elect. diascord. Fracastor.* ʒij. *mithridat. opt. theriac. Andromach.* ā ʒß. *confect. hyacinth. incompl.* ℈ij *spec liberant.* ℈j. *syr. citri q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur.* Quarto die, cùm de dolore capitis & siti vehemente conquereretur, julepum sumpsit ℞. *aq. nymphææ acetos.* ā ℥iij. *syr. berber.* ℥ij. *papav. rhead.* ℥j. *spir. vitriol. gt. vj. F. julepus pro duabus dosibus.* Quinto die manè bolum sudoriferum usurpavit. ℞. *mithrid. opt.* ʒj. *confect. hyacinth. incompl.* ℈j. *sacch. opt. q. s. F. bolus.* Sexto die præno-

mina-

minatum julepum repetiit. Cùm septimo die omnia symptomata mitiora apparuissent, jussi usum electuarii continuare, & sic Æger prosperæ sanitati restitutus fuit.



OBSERVATIO LVII.

Pestis sine febre.

FAmulus ægrotorum peste infectorum imperterritus me invisit, & anthracem in femore ostendit: quum in illo nullum febris signum animadvertissem, mandavi ipsi, ut manè sequentem pulverem diaphoreticũ sumeret. ℞. *boli armen.* ℈ij. *flor. sulphur.* ℈ß. *camphor. gr. iij. F. pulvis*: exin copiosè sudavit, melius se habuit, & anthracem solo unguento basilico curavit. Quòd autem pestis sine febre aliquoties hominem invadat, & quantas contra hanc luem vires possideat bolus armena, jam olim docuit *Galenus lib. IX. de simplic. medicamentor. facultatib. cap. VI.* ἐν τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ πάντες οἱ πίοντες τούτου φαρμάκου διὰ ταχέων ἐθεραπεύθησαν· ὅσους δ' οὐδὲν ὤνησεν ἀπέθανον πάντες, οὐδ' ὑπ' ἄλλου τινὸς ὠφελήθησαν, ᾧ καὶ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀνιάτους ἔχοντας οὐκ ὠφέλησε. πίνεται δὲ μετ' οἴνου λεπτοῦ τὴν σύστασιν, κεκραμένου μετρίως μὲν εἰ ἀπύρετος εἴη παντάπασιν ὁ ἄνθρωπος, ἢ βραχὺ πυρεταίνοι, πάνυ δ' ὑδαροῦς εἰ πυρέττοι μειζόνως: *in magna hac peste, cujus eadem facies fuit atque ejus, quæ* Thucydidis *memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen* nempe bolum armenam *bibêre, celeriter curati sunt: at quibus non profuit, omnes interiere, scilicet cùm nec alio quovis curarentur: unde colligitur, quòd iis duntaxat*

taxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles: bibitur autem ex vino albo, consistentiâ tenui, modicè diluto, si aut planè febri careat, aut leniter eâ teneatur, sin gravius febriat, admodum aqueo.

Cùm in hoc textu expressis verbis *Galenus* afferat, peste infectum *planè sine febre* inveniri posse, miror nonnullos Viros Clarissimos, magnos aliâs *Galeni* admiratores propugnare,

Πύξ τε παλαιμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἠδὲ πόδεσσιν,

quòd pestis essentia in febre consistat, hinc inter illos à *nonnemine* definitur: *pestis est febris epidemia à contagione perniciosa orta.* Ad textum *Galenicum* respondet Vir Clarissimus: *quòd Galenus, dum Armeniam terram propinare pestilentibus jubet, febris rationem habere vult, id potiùs in maximè vel minùs insignem calorem referendum videtur.* Sed hæc interpretatio Viri Clarissimi definitionem non suffulcit: licet enim *Galenus* statuat, bolum armenam ex vino albo modicè diluto peste infectis concedi, si leviter febricitent, & admodum aqueo, si gravius febriant; nihilominus manifestè etiam fatetur, quòd ἄνθρωπος παντάπασιν ἀπύρετος peste infectus *HOMO OMNINO SINE FEBRE* decumbere possit: unde sole meridiano clarius elucescit, *Galenum* in tres classes peste infectos redigere, παντάπασιν ἀπυρέτους, βραχὺ πυρεταίνοντας καὶ μειζόνως πυρέττοντας, quorum primi omninò febre carent, secundi leviter febricitant, tertii graviùs ex febre decumbunt. Aliorum argumenta examinare institutum meum non permittit, accuratè hoc præstitit Vir excellentissimus *Isbrandus de Diemerbroeck* in erudito suo opere de peste *lib. I. cap. XII. annot. II.* qui etiam in pestilentia

ſtilentia *Noviomagenſi* bubones & anthraces non ſemel ſine febre vidit, imò ipſemet magnum carbunculum peſtilentem in manu ſiniſtra habuit ſine ulla febre & ſanitatis diſpendio. Sic *Johannes Morellus libr. de peſte cap. IV.* atteſtatur, ſe in peſte *Cabilonenſi* ſæpiùs obſervaſſe bubones & carbunculos, quos nulla febris comitata fuit.



OBSERVATIO LIIX.

Peſtis propter adminiſtratam venæſectionem funeſta.

VIr quinquaginta annorum, Vicinus meus, præludia peſtis in ſemetipſo advertens, Chirurgi ædes adivit, & ſibi venam in brachio aperire juſſit, vix domum reverſus magnam virium imbecillitatem, vomitum enormem & inexplicabilem cordis anguſtiam paſſus eſt. Vocatus potiunculam diaphoreticam, quam ternâ vice ſumpſit, ſed ſtatim rurſus evomuit, & ſequentem aquam cardiacam præſcripſi. ℞. *aq. acetoſ.* ℥ij. *mithrid. opt. theriac. Andromach.* ā ʒß. *pulver. pannonic rubr.* ℈j. *ſal. abſinth.* ℈ß. *miſce.* ℞. *aq. cardiac. officin.* ℥vj. *carduibened. meliſſ.* ā ℥j, *margarit. præpar.* ℈j. *ſal. corall.* ℈ß. *miſce:* de qua cochlear plenum pro lubitu ſumpſit: ad veſperam delirare incepit & circa mediam noctem huic mundo valedixit. Infortunato ſucceſſu & lethali utplurimùm exitu venæſectiones graſſante hâc lue inſtitutas fuiſſe, alii noſtri Medici,

qui

qui in visitandis ægris peste correptis Patriæ afflictæ indefessam operam attulerunt, indeque famam nominis immortalem reportarunt, sæpiùs etiam observaverunt: unde Chirurgis severè injunctum fuit, ne ulli hominum sive sano sive ægro, nisi prius Medici ordinarii consensus accedat, venam aperiant. Quòd autem extremo vitæ cum periculo venarum apertiones in peste instituantur, nactâ hâc occasione pleniùs comprobabo. Extra omnem dubitationis aleam positum est, sedulos Medicos in peste curanda omnem lapidem movere, quò vires à veneno pestilenti prostratæ restaurentur, spiritus dissipati refocillentur, functionesque vitales adhibitâ omni diligentiâ conserventur, ut natura truculento huic morbo fortiùs resistere, & venenum sive per sudores vel bubones aut anthraces expellere queat, an autem hoc per venarum apertionem & sanguinis eductionem præstari possit, illud accuratioribus Medicis, ab omni præjudicio liberis, dijudicandum relinquo. Accedit summorum in arte nostra Virorum fida autoritas & experientia, quæ funesto cum exitu venas in peste apertas fuisse testimoniis omni exceptione majoribus comprobat. Omnium loco proferam testimonium annotatione dignum, quod *Fernelius lib. II. de abditis rerum causis cap. XII.* proponit, in peste Medici celeberrimi, qui longo artis usu doctrinæ studia compleverunt, prorsus abstinent à venæsectione, experti eos, quibus sanguis sive initio sive postea esset missus, aut paulò post obiisse, aut in deterius lapsos esse, non enim (ut quibusdam videri posset) evacuatio hanc perniciem summovet aut imminuit

nuit aut cohibet, ut quæ non eſt in humoris vitio poſita, neque laborantem ullâ ratione levat, ſed contra gravius offendit: etenim extrinſecus nos circumfundens pernicies vacuato ſanguine & ſpiritu, in pulmones, in cor & in venas facilius penetrat & ferocia majore invaleſcit. Sanguis enim phlebotomiâ concitatus promptiùs labem contrahit, quemadmodum aqua, cui fellis tantillum injeceris, ſi agitetur, ocyus, quàm ſi conſiſtat, amareſcit: quin etiam vires agitatione imminutæ inſilienti perniciei minùs obſiſtunt: hæ rationes experientiâ confirmatæ, ut à venæſectione, ita magis à valida purgatione docent abſtinendum. Cùm huic teſtimonio *Fernelii*, ponderibus rationum gravi, adhuc majorem fidem concilient duæ hiſtoriæ lectu digniſſimæ, quas *Isbrandus de Diemerbroeck lib. IV. de peſte hiſtor. XXIIX. & LIII.* cum annotationibus recenſet, illas ſummatim huic obſervationi annectere neceſſarium eſſe duxi. *Goſuinus Dyckvvoldt*, Vir fortis, de aggravante capitis dolore & cordis anxiétate conqueſtus eſt, atque adeò ſomnolentus fuit, ut vix à ſomno abſtinere potuiſſet, circa veſperam ad illum vocatus alexipharmacum præſcripſi, & juſſi, ut adſtantes ipſum continuò alloquerentur, ac omnibus modis ſomnum impedirent, uſque dum per quatuor vel quinque horas egregiè ſudaſſet: poſt ſudorem planè ceſſavit anxietas cum ſomnolentia, ita ut ſequenti manè multò meliùs ſe haberet, licèt tunc etiam duo magni carbunculi alter in brachio, & alter in femore apparuerint. Cùm autem propter ægrorum multitudinem illo manè hunc ægrum non ſatis tempeſtivè inviſerem,

ſtatim

ſtatim naſutus quidam Chirurgus vocatus fuit, qui meum adventum non exſpectans ſuo conſilio venam brachii incidit, ſanguinis circiter uncias decem extraxit, & mihi obviam factus tanquam re benè geſtâ factum narravit. Poſt tres à phlebotomia horas ægrum ſimul inviſimus, quem Chirurgus à ſanguinis miſſione multùm fore allevatum exiſtimabat, ſed conjectura illum fefellit, nam varia deſperata ſigna in ægro animadvertimus, carbunculi non tumidi nec in circumferentia inflammati, ſed exiles, depreſſi & aridi viſi erant, febris vehementiſſima acceſſerat cum maxima anxietate, quam tanta comitabatur virium debilitas, ut intra paucas horas Æger vitam cum morte commutarit. *Theodorus Weſemer*, cùm Aviam peſte laborantem inviſiſſet, contagio infectus atque vertiginoſum capitis dolorem paſſus fuit. Chirurgum vocavit, qui alexipharmacum ipſi ſtatim exhibuit, à quo multum ſudavit, & durus tumor dolorificus retrò aurem apparuit. Tunc Chirurgus venæſectionem ſuaſit, atque ex affecti lateris brachio uncias decem ſanguinis extraxit. Æger inter Chirurgi manus ſyncope correptus lecto impoſitus eſt: paulò poſt ad ſe rediens de ſumma cordis debilitate & anxietate conqueſtus fuit, quam præcedente horrore & frigore vehemens febris ſubſequuta erat. Tunc meum conſilium petitum fuit: inveni ægrum adeò debilem, ut vix loqui poſſet, tumor retro aures diſparuerat, & pulſus creber, inæqualis & parvus erat: poſt paucas horas diuturniore deliquio accedente Æger diem ſuum obiit.

OBSER-



OBSERVATIO LIX.

Pestis cum pleuritide.

PRænominati Viri Uxorem, ex inopinato mariti obitu maximè consternatam, pestis cum febre acuta invasit: vocatus primo die potiunculam diaphoreticam blandam præscripsi. ℞. *aq. theriacal. nostr. acetos.* ā ℥iß. *C.C. philosophic. præpar.* ℈j. *misce*: hinc blandè sudavit. Vesperi propter intensum calorem julepo refrigerante usa fuit. ℞. *aq. nymphææ, acetos.* ā ℥iij. *syr. berber. papav. rhead.* ā ℥j. *spir. vitriol. gt.* viij. *F. julepus pro duabus dosibus nocturnis.* Secundo die rursus sudavit, & prædictum julepum noctu usurpavit. Tertio die pleuritis acutissima ægrotam corripuit, quæ respirationem intercipiendo post aliquot horas illam è medio sustulit. Pleuritis pesti accedens semper lethalis est, quoniam illa non solùm ab inflammatione pleuræ, sed etiam à pestilenti veneno isti membranæ infixo originem trahit, unde post inflammationem simul pleuræ vicinarumque partium *νέκρωσις mortificatio* inducitur, quæ nullis remediis sanari potest.

OBSER-

OBSERVATIO LX.

Pestis cum bubone.

Virgo honesta & modesta, magnum Viduæ Matris delicium & solatium, noctu peste correpta fuit: manè vocatus de summa virium jactura, sitis vehementia, capitis dolore, pectoris angustia & appetitu prostrato conquerebatur, mox potiunculam diaphoreticam præscripsi. ℞. *aq. theriacal. nostr. succis.* ā ℥iß. *mithridat. opt.* ʒß. *pulver. pannonic. rubr.* ℈j. *misce*: exin blandè sudavit. Pro potu ordinario sequens decoctum bibit. ℞. *C. C. limati* ℥ß. *coq. in aq. font. q. s. ad mensuram unam in colat. sol. facch. rosat. tabul.* ℥iß. *nitr. præpar.* ʒij. *misce.* Vesperi julepum contra prædicta symptomata proficuum usurpavit. ℞. *aq. borragin. nymphææ, acetos.* ā ℥ij. *syr. corallor. papaver. rhead.* ā ℥j. *spirit. sulphur. gt. viij. F. julepus pro duabus dosibus nocturnis.* Secundo die in inguine dextro apparuit bubo, quem Chirurgus consuetâ methodo tractavit, hinc ægra prædictam potiunculam diaphoreticam repetiit. Tertio die illam diarrhœa periculosa invasit, unde electuarium sequens præscripsi. ℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥j. *electuar. diascord. Fracastor.* ʒj. *theriac. Androm. mithrid. opt.* ā ʒß. *confect. hyacinth. incompl.* ʒiß. *pulv. pannonic. rubr. C. C. philosoph. præpar. spec. diatrionsantal.* ā ℈j. *syr. corallor. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ sumatur*: unde fluxus alvi imminutus fuit. Quarto die ob linguam & fauces inflammatas sequenti garga-

gargarifmo & fyrupis ufa fuit. ℞. *aq. plantagin. brunell. fl. liguftr. ā ℥ij. acet. rofat. ℥ij. mell. rofat. diamor. fimplic. ā ℥ß. nitri præpar. ℈j. F. gargarifmus.* ℞. *fyr. berber. granator. papav. rhead. ā ℥j. aq. plantagin. ℥ß. mifce, de quo ægra aliquoties cochlear plenum ufurpet*: hinc inflammatio faucium ceffavit. Quinto die, cùm in ægra magnam functionũ vitaliũ jacturam obfervaffem, aqua cardiaca, cujus fæpe cochlear plenum fumat, præfcripta fuit. ℞. *aq. cardiac. offic. ℥ij. acetof. borragin. ā ℥j. margarit. præpar. ℈j. C. C. philofophic. præpar. ℈ß. mifce.* Sexto & feptimo die ufum electuarii & aquæ cardiacæ continuavit. Octavo die, cùm in illa pulfum parvum & inæqualem animadvertiffem, mulieri clinicæ mandavi, ut ægrotæ cochlear plenum de aqua cardiaca fæpiùs concedat: ad vefperam pro virium robore julepum præfcripfi. ℞. *aq. borragin. violar. acetof. ā ℥j. fyr. citri ℥iß. corallor. ℥j. F. julepus pro duabus dofibus nocturnis.* Nono die potiunculam fudoriferam roborantem ufurpavit. ℞. *lapid. bezoar. oriental. CC. philofophic. præpar. ā ℈ß. aq. acetof. ℥ß. mifce*: exin blandè cum magno levamine fudavit. Ab hoc die dolor capitis & anguftia præcordiorum imminuta fuit, fluxus alvi omnimodè ceffavit, & appetitus naturalis rediit: hinc præfcriptâ priùs trageâ convenienti ægrotæ valedixi. ℞. *raf. eboris ʒj. ocul. cancr. præpar. ʒiß. corall. rubr. præparat. ʒj. fpec. diatrionfantal. ʒij. diarrhod. abbat. ʒß. rofat. novel. ℈j. facch. rofat. tab. ℥iiij. F. s. a. tragea more confueto ufurpanda.*



OBSERVATIO LXI.

Pestis maculosa.

VIr viginti aliquot annorum, Cognatus meus, qui grassantem hanc luem vehementer pertimescebat, peste correptus fuit. Summo manè vocatus illum totum consternatum deprehendi, hinc illi animum addidi, & potiunculam diaphoreticam cum aqua cardiaca præscripsi. ℞. *elect. diascord. Fracastor.* ʒiß. *confect. hyacinth. incompl.* ʒß. *aq. acetos.* ℥ij. *misce: sumat statim.* ℞. *aq. cardiac. officin.* ℥ij. *borragin.* ℥iß. *sacchar. rosat. tab.* ʒj. *margarit. præpar.* ℈j. *misce.* Cùm vesperi de summa cordis anxietate & virium imbecillitate conquereretur, sequens electuarium roborans præscriptum fuit. ℞. *conserv. rosar. rubr. borragin.* ā ℥j. *cort. citri cond.* ℥ß. *elect. diascord. Fracastor.* ʒiß. *mithrid. opt.* ʒj. *confect. hyacinth. incompl.* ℈iiij. *pulver. pannonic. rubr.* ℈j. *syr. corallor. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ sumatur.* Secundo die potiunculam sudoriferam repetiit, & usum aquæ cardiacæ ac electuarii roborantis continuavit. Die tertio, quum in brachiis, manibus & pedibus maculas purpureas ac nigricantes observassem, mortem prædixi: præsagio respondit eventus, nam statim post meridiem æger vitam cum morte commutavit. Multi præclari Medici, teste magni nominis *Isbrando Diemerbrockio* hasce maculas quocunque tempore, sed præsertim decretorio apparentes die, salutiferas esse

asse-

asserunt, inde forsan decepti, quòd earum originem non satis cognoverint, & ipsum pestilens venenum per hasce maculas expelli autumaverint: quantumvis enim eorum rationes evacuationem hancce criticam probare videantur, necesse tamen est, ut experientiæ contrarium docenti cedant, nam nihil interest, quàm acutè de hujus criseos bonitate disputetur, si subrepens mors pendentis litis decisionem faciat. Hinc observavit *Diemerbrockius*, horum exanthematum eruptionem semper spirituum vitalium internecionem, nunquam verò naturæ victoriam indicasse, quapropter simul ac in peste *Noviomagensi* exanthemata animadvertit, ægros in maximo vitæ periculo constitutos esse prædixit: quamvis enim per diem unum vel alterum (quod tamen rarum erat, nam plurimi post maculas eruptas horis aliquot elapsis moriebantur) sine gravibus symptomatibus ægri vitam protraherent, tandem nihilominus inopinanter rebus humanis exempti sunt, nam multos adeò fortes vidit, qui loquentes & obambulantes ac nihil minùs quàm mortem exspectantes, præter aliorum opinionem morte extincti fuere: unde nec exanthematum multitudo (quam multi laudabilem judicant) nec illorum paucitas majorem vel minorem sanitatis spem promittebant, nam plures maculæ majorem quidem veneni copiam & violentiam majusque spirituum vitalium damnum indicabant, causam autem morbi nequaquam imminuebant, hinc æquè cum paucis & parvis quàm cum plurimis & majoribus Ægri moriebantur. Unde in truculentissima peste *Noviomagensi*, quæ



OBSERVATIO LXI.

Pestis maculosa.

Vir viginti aliquot annorum, Cognatus meus, qui grassantem hanc luem vehementer pertimescebat, peste correptus fuit. Summo manè vocatus illum totum consternatum deprehendi, hinc illi animum addidi, & potiunculam diaphoreticam cum aqua cardiaca præscripsi. *℞. elect. diascord. Fracastor.* ʒiß. *confect. hyacinth. incompl.* ʒß. *aq. acetos.* ℥ij. *misce: sumat statim.* *℞. aq. cardiac. officin.* ℥ij. *borragin.* ℥iß. *facchar. rosat. tab.* ʒj. *margarit. præpar.* ℈j. *misce.* Cùm vesperi de summa cordis anxietate & virium imbecillitate conquereretur, sequens electuarium roborans præscriptum fuit. *℞. conserv. rosar. rubr. borragin.* ā ℥j. *cort. citri cond.* ℥ß. *elect. diascord. Fracastor.* ʒiß. *mithrid. opt.* ʒj. *confect. hyacinth. incompl.* ℈iiij. *pulver. pannonic. rubr.* ℈j. *syr. corallor. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ sumatur.* Secundo die potiunculam sudoriferam repetiit, & usum aquæ cardiacæ ac electuarii roborantis continuavit. Die tertio, quum in brachiis, manibus & pedibus maculas purpureas ac nigricantes observassem, mortem prædixi: præsagio respondit eventus, nam statim post meridiem æger vitam cum morte commutavit. Multi præclari Medici, teste magni nominis *Isbrando Diemerbrockio* hasce maculas quocunque tempore, sed præsertim decretorio apparentes die, salutiferas esse asse-

afferunt, inde forsan decepti, quòd earum originem non satis cognoverint, & ipsum pestilens venenum per hasce maculas expelli autumaverint: quantumvis enim eorum rationes evacuationem hancce criticam probare videantur, necesse tamen est, ut experientiæ contrarium docenti cedant, nam nihil interest, quàm acutè de hujus criseos bonitate disputetur, si subrepens mors pendentis litis decisionem faciat. Hinc observavit *Diemerbrockius*, horum exanthematum eruptionem semper spirituum vitalium internecionem, nunquam verò naturæ victoriam indicasse, quapropter simul ac in peste *Noviomagensi* exanthemata animadvertit, ægros in maximo vitæ periculo constitutos esse prædixit: quamvis enim per diem unum vel alterum (quod tamen rarum erat, nam plurimi post maculas eruptas horis aliquot elapsis moriebantur) sine gravibus symptomatibus ægri vitam protraherent, tandem nihilominus inopinanter rebus humanis exempti sunt, nam multos adeò fortes vidit, qui loquentes & obambulantes ac nihil minùs quàm mortem exspectantes, præter aliorum opinionem morte extincti fuere: unde nec exanthematum multitudo (quam multi laudabilem judicant) nec illorum paucitas majorem vel minorem sanitatis spem promittebant, nam plures maculæ majorem quidem veneni copiam & violentiam majusque spirituum vitalium damnum indicabant, causam autem morbi nequaquam imminuebant, hinc æquè cum paucis & parvis quàm cum plurimis & majoribus Ægri moriebantur. Unde in truculentissima peste *Noviomagensi*, quæ

decem hominum millia è medio ſuſtulit, unicum puellum cum purpureis exanthematibus evaſiſſe *Diemerbrockius* obſervavit, cujus hiſtoriam *lib. IV. de peſte hiſtor. XLI.* proponit.



OBSERVATIO LXII.

Peſtis cum quatuor carbunculis.

PRopter improviſum prænominati Cognati mei obitum ejus Uxor juvenis maximè perculſa, etiam peſte correpta fuit. Vocatus illi potiunculam ſudoriferam præſcripſi. ℞. *aq. theriacal. noſtr.* ℥j. *elect. diaſcord. Fracaſtor.* ʒj. *C. C. philoſoph. præpar.* ℈j. *miſce*: exin blandè ſudavit, unde duo carbunculi unus in brachio, alter in manu erupe-runt, quos conſuetâ methodo meâ Chirurgus tractavit. Secundo die prædictam potionem ægra repetiit, hinc rurſus duo carbunculi unus in abdomine, alter in femore ſe manifeſtarunt. Tertio die ob vires debilitatas aqua cardiaca & electuarium roborans præſcriptum fuit. ℞. *aq. cardiac. officin.* ℥j. *borragin.* ℥ij. *ſacch. roſat.* ʒj. *margarit. præpar.* ℈j. *miſce*: *de quo ſæpè cochlear plenum concedatur.* ℞. *conſ. roſar. rubr.* ℥j. *borragin.* ʒß. *bugloſſ.* ʒij. *confect. hyacinth. incomp.* ʒiß. *C. C. philoſoph. præpar. ſpec. diamargar frig.* ā ℈j. *ſyr. corallor. q. ſ. F. electuarium, de quo ſæpè magnitudo avellanæ uſurpetur.* Quarto die circa meridiem Ægra exſpiravit. Rectè monet *Galenus comment. in lib. III. de morb. vulgarib.* §. *XII.* carbunculum εἶναι πάθος ἀεὶ κινδυνῶδες

δυνώδες ὡς ἂν ὑπὸ μοχθηρῶν γινομένων χυμῶν, esse affectum semper periculosum, utpote à vitiosis humoribus ortum. Unde elucescit, quantò major carbunculorum numerus appareat, eò gravius periculum ex fortiore intus latitante veneno imminere: quapropter judice clarissimo *Diemerbrockio lib. I. de peste cap. XV. §. XXXI.* minimè audiendus est *Hieronymus Mercurialis*, qui in *lib. de peste cap. XXIX.* scribit, *carbones quò plures sint & latiores, eò magis salutem promittere*, cujus opinionem multi alii Medici forsan in peste majores Theoretici quàm Practici amplectuntur, propterea quòd solùm facultatis expultricis robur intueantur, sed de causæ summa magnitudine parum solliciti sint: plures autem carbunculos paucioribus esse periculosiores, etiam in peste *Noviomagensi* sæpiùs observavit *Diemerbrockius*, quod raro exemplo *lib. IV. de peste histor. LXVI.* comprobat. *Guilhelmo Beerns* peste cum febre & maximâ anxietate correpto post primum exhibitum alexipharmacum quatuor carbunculi, duo in femoribus, & duo in pectore eruperunt, ac sequenti nocte adhuc duo in abdomine prodierunt. Secundo die antidoto rursus exhibito tres alii carbunculi circa scapulas visi sunt, atque subsequenti nocte adhuc duo, unus in latere dextro versùs lumbos, alter in brachio apparuerunt, ita ut ab undecim carbunculis corpus obsideretur. Febris aliaque prava symptomata magis magisque adaucta sunt. Omnia exhibita antidota non majus levamen induxerunt, quàm si saccharum candum exhibitum fuisset. Tertiâ die circa noctem vitam cum morte commutavit.



OBSERVATIO LXIII.

Pestis cum ingente carbunculo.

THEODORUS WOLLEBIUS, Ecclesiastes pietate, eruditione & eloquentiâ sacrâ insignis, dum in visitandis & consolandis ægrotis peste correptis munus suum strenuè perficeret, dirâ hâc lue etiam infectus fuit. Ut publico Ecclesiæ nostræ commodo & incremento iste verbi divini Præco facundissimus conservaretur, Medici duo ordinarii indefessam operam præstiterunt; mœstissima Uxor Maritum in extremo vitæ discrimine constitutum animadvertens præsentiam meam desideravit, ego lubens meritòque comparui: sed cùm in maxilla dextra carbunculum latæ magnitudinis pulsumque intermittentem observavissem, extrema instare & malum eheu! immedicabile esse prædixi, etiamsi Chirurgus Thrasonicus, *Christophorus Hinderegger*, qui insciis Medicis & Chirurgis ordinariis clandestinè se intrusit, nullum ex hoc carbunculo periculum subesse, per Superos & Acheronta juraverit: prædictionem meam confirmavit exitus, nam subsequenti die fidelis iste DEI Servus ærumnosam hanc vitam cum immortali cœlestis vitæ gloria commutavit. In hac peste *Basileensi* carbunculos latæ magnitudinis ideò semper funestos fuisse compertus sum, quia instar sphaceli partibus vicinis *νέκρωσιν mortificationem* inducunt, ita ut etiam aliquan-

aliquando vaſa majora aliasque partes profundiores aggrediantur.



OBSERVATIO LXIV.

Peſtis cum hæmorrhagia narium lethalis.

VIr triginta circiter annorum, robuſtus & vegetus coriarius, peſte correptus meam præſentiam anxiè deſideravit. Primo die ſequentem potiunculam ſudoriferam uſurpavit. ℞. *mithrid. opt.* ʒj. *elect. diaſcord. Fracaſtor.* ʒß. *aq. acetoſ.* ℥ij. *ſyr. citri* ℥j. *ſpec. liberant.* ℈j. *miſce:* exin blandè ſudavit. Veſperi ob magnum febris incendium julepus præſcriptus fuit. ℞. *aq. nymph. acetoſ. ſuccíſ.* ā ℥ij. *ſyr. citri* ℥iß. *berber.* ℥j. *ſpir. vitriol. gt. vij. F. julepus pro duabus doſibus nocturnis.* Secundo die in inguine dextro apparuit bubo, hinc prædictam potiunculam ſudoriferam repetiit, & propter fauces inflammatas gargariſmo & ſyrupis in *obſervat. LX.* annotatis uſus fuit. Tertio die ob vires proſtratas ſequentem aquam cardiacam & electuarium roborans præſcripſi. ℞. *aq. cardiac. officin.* ℥ij. *bugloſſ. violar.* ā ℥j. *confect. alkerm. incomplet.* ʒiß. *miſce, de quo ſæpè cochlear plenum concedatur.* ℞. *conſerv. roſar. rubr. borragin.* ā ℥j. *acetoſ. citri* ℥ß. *confect. hyacinth. incompl.* ʒij. C.C. *philoſophic. prapar.* ℈j. *ſyr. corallor. q. ſ. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ ſumatur.* Quarto die periculoſa narium hæmorrhagia ſupervenit, in

I 4 qua

qua ſpacio duorum dierum ſanguis quidem paulatim ſed in magna copia emanavit: ad hunc fluxum ſanguinis ſiſtendum ſequentia remedia convenientiſſima præſcripta fuerunt. ℞. *aq. plantagin. acetoſ. ā ℥iij. ſyr. corallor. ℥iß. granator. ℥ß. lapid. hæmatit. præpar.* ℈j. *ſanguin. dracon.* ℈ß. F. *julepus pro duabus doſibus.* ℞. *conſ. roſar. rubr.* ℥ij. *rad. conſolid. major.* ℥j. *lapid. hæmatit. præpar. trochiſc. de carab.* ā ℈j. *ſyr. corallor. q. ſ.* F. *electuarium, de quo ſæpiùs magnitudo nuciſtæ ſumatur.* ℞. *aq. cardiac. officin.* ℥ij. *plantag. borrag.* ā ℥j. *ſacch. roſat. tab.* ʒij. *corall. rubr. præpar.* ℈j. *margarit. præpar.* C.C. *philoſoph. præpar.* ā ℈ß. F. *cardiacum, de quo ſæpè cochlear plenum uſurpetur.* ℞. *aq. plantag. nymph. pyrol.* ā ℥iij. *acet. roſat.* ℥ij. *trochiſc. de carabe* ʒj. F. *frontale cum duplicatis linteis, fronti & collo tepidè applicandum.* oxycratum actu frigidum teſticulis impoſitum fuit. Verùm omnia hæc remedia in caſſum uſurpavit Æger, utpote qui circa mediam noctem accedentibus leipothymiis vitam pariter cum ſanguine effudit. Multi exiſtimant, hæmorrhagias peſti ſupervenientes ægrotorum ſalutem indicare, ac proin non cohibendas, ſed potiùs promovendas eſſe. Sed illos toto aberrare cœlo rectè judicat *Diemerbrockius*, nam licèt natura hoc modo ſe à gravante malignitate ſublevare nitatur, fruſtrà tamen per illam viam id facere allaborat, per quam venenum peſtilens cordi impreſſum aut parum aut nihil imminuitur, imò veriſimilius eſt, diſſipatione multorum ſpirituum & copioſi ſanguinis effluxu citiùs ægros viribus collapſis morituros, quàm malignitas per hæmorrhagiam excerni poſſit.

OBSER-



OBSERVATIO LXV.

Pestis.

SEnator quinquagenario major præludia pestis in semetipso animadvertens me vocare jussit. Sub vesperam illum invisens, de vertiginoso capitis dolore, præcordiorum angustiâ & molesto vomitu conquestus fuit: mox sequentem potiunculam diaphoreticam usurpavit. *℞. mithrid. opt.* ʒj. *elect. diascord. Fracastor.* ʒß. *sal. absinth.* ℈ß. *aq. theriacal. nostr.* ℥ß. *acetos.* ℥j. *syr. citri* ℥ß. *misce:* unde ad sudorem proclivis totâ nocte cum levamine sudavit: manè sequens electuarium adversùs indicata symptomata præscriptum fuit. *℞. conserv. rosar. rubr.* ℥iß. *borragin.* ℥ß. *elect. diascord. Fracastor.* ʒij. *mithrid. opt.* ʒj. *sal. absinth.* ℈j. *syr. papav. rhead. pœon.* ā *q. s.* F. *electuarium, de quo ad lubitum magnitudo avellanæ sumatur.* Tertio die melius habuit, postea quam è fonticulo, quem in pede dextro fovit, humor nigricans magna in copia effluxisset. Fonticulos ad pestis præservationem maximè utiles esse, per quos vel spontaneo naturæ motu vel excitato convenientium remediorum stimulo venenum pestilens è corpore expellatur, Viri præclari aliquoties observarunt. Hinc *Fabricius Hildanus centur. IV. observat. chirurgic. XXIII. & LXXXVI.* fatetur, se in truculentissima peste *Lausanensi*, beneficio fonticulorum in brachio sinistro & poplite dextro, conservatum fuisse, imò neminem eorum, qui fonticulos in bra-

chiis aut cruribus habuerint, præter unum vel alterum summè cacochymicum obiisse. Unde Vir excellentissimus *Antonius Deusingius tractat. IV. de peste cap. II.* etiam asserit, ad exstirpandum pestilentiæ fomitem fonticulos plurimùm conferre, per quos tanquam tubulos vitiosorum humorum colluvies sensim derivatur & expurgatur, ut illâ sentinâ sublatâ corpus pestiferæ lui minùs obnoxium existat, ac cum defluenti virulentiæ fomite virus ipsum è corpore simul promanet. Idem *Julius Palmarius lib. I. de febre pestilent. cap. XV. Hieronymus Mercurialis lib. de peste cap. XXIII. Antonius Portus lib. II. cap. XXXVI. Georgius Guarnerus cap. IX. & Ambrosius Paræus lib. XXI. cap. XVII.* confirmant.



OBSERVATIO LXVI.

Amuletum pestis periculosum.

CElebri cuidam Mercatori nostro, Pharmacopola *Francofurtanus* in nundinis autumnalibus, amuletum famosissimum contra pestem tergeminis laudibus commendavit, quòd ille *Basileam* redux lue adhuc apud nos grassante collo appendit, ut nudum pectus & cordis regionem attingeret. Post quatuor ab appenso amuleto dies elapsos bonus iste Vir tantam præcordiorum angustiam, ardorem & lassitudinem passus fuit, ut aliquoties in animi deliquium incideret, simulque acrem dolorem in loco amuleti perci-

pere-

peret. Vocatus amuleti ſacculum aperui, & illud ex arſenico paratum fuiſſe obſervavi: cùm autem hoc virulentum amuletum puſtulas ſubnigras circa regionem cordis excitaſſet, illas oleo ſcorpionum *Matthioli* inungere juſſi, & contra prædicta ſymptomata ab infauſto amuleto excitata potiunculam diaphoreticam & electuarium conveniens præſcripſi. ℞. *theriac. Andromach.* ʒj. *electuar. diaſcord. Fracaſtor.* ʒß. *aq. acetoſ.* ℥ij. *miſce:* exin cum magno levamine ſudavit. ℞. *conſerv. roſar. rubr.* ℥j. *acetoſ. citri, borragin. ā* ℥ß. *theriac. Andromach. elect. diaſcord. Fracaſtor. ā* ʒj. *confect. hyacinth. incomplet.* ʒiß. *ſpec. liberant.* ʒß. *C. C. philoſophic. præpar.* ℈j. *ſyr. de ſucco citri q. ſ. F. electuarium*: de quo ſæpiùs magnitudinem nucis moſchatæ Æger uſurpavit, unde etiam priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. Certè qui amuleta ex arſenico aliisque venenis compoſita ad virus peſtilentiæ evitandum in nudo corpore circumferunt, cives illos imitari videntur, qui ut hoſtem dirum ab urbe repellant, alterius non minùs ſævi auxilium invocaverunt, cui dum mœniorum defenſio commiſſa fuit, ille nactâ occaſione urbis penetralia occupat, & miſeros cives proprios extremæ calamitatis ſuæ autores trucidat, accuratum *Isbrandi Diemerbrockii lib. IV. de peſte hiſtor. XCIX.* judicium eſt. Cæterùm de imaginaria iſta facultate arſenici contra peſtem prolixè & eruditè commentatus eſt Medicus ſeculi noſtri celeberrimus, *Antonius Deuſingius in tractat. de peſte part. IV. ſect. III. cap. III.* ubi varia incommoda & pericula ab arſenici amuleto tempore peſtis geſtato oborta recenſet, atque tandem oſtendit, damnoſam illam de arſenici amuleto

perſua-

persuasionem ex Arabici idiomatis ignorantia originem traxisse, & inde in praxin medicâ dimanasse: cùm enim Medicus Arabs fortè commendavit sacculum *darseni* hoc est *cinamomi* (Arabibus enim *darseni cinamomum* significat) vocabulo illo Arabico apud Medicos barbaros in Latina lingua servato, ut fieri passim solebat, imperitus linguæ postea pro *darseni* substituit *de arsenico*, eundemque errorem porrò aliis ineptâ commendatione instillavit: Ego amuletorum istorum periculosorum loco, grassante hâc lue, trochiscos & electuarium prophylacticum consului, quibus plurimæ Familiæ cum eximio prosperæ valetudinis conservandæ emolumento usæ fuerunt. De electuario sumebat quilibet domesticus nucis moschatæ magnitudinem manè post somnum; trochisci autem ab exeuntibus in ore detinebantur & tardè deglutiebantur. Formula trochiscorum & electuarii prophylactici, quæ in majori copia in pharmacopoliis asservata fuère, sequens est. *℞. spec. liberant. pulv. pannonic. rubr. ā ʒij. confect. alkerm. incompl. ℥ß. sacrh. opt. ℥vj. mucilag. gumm. tragacanth. aq. succisæ extract. q. s. F. s. a. trochisci. ℞. rad. angelic. succis. tormentill. vincetox. ā ʒj. bol. armen. ver. ℥ß. terræ sigill. ʒij. pulver. pannonic. rubr. spec. liberant. ā ʒiij. roob juniper. ℔iß. sambuc. theriac. Andromach. mithrid. opt. ā ℥ij. sacchar. clarific. ℥xiiij. succi citri recent. ℥vj. F. s. a. electuarium:* quod in olla conveniente asservetur.

OBSER-



OBSERVATIO LXVII.

Curatio bubonum pestilentium Chirurgica.

Methodus medendi externa, qualem in bubonibus inguinum pestilentialibus ex jussu meo Chirurgi instituerunt, tali modo absoluta fuit. Ante omnia ad tumoris evocationem & veneni extractionem, commune vesicatorium ex drachma una & dimidia pulveris cantharidum cum fermento & aceto mixta, in parte bubonis inferiore applicare, atque post octo vel decem circiter horas excitatâ & ablatâ vesicâ, folium betæ aut brassicæ rubræ butyro aut raparum oleo inunctum imponere jussi, ut venenati humores meliùs effluere possint. Secundo die emolliens & suppuratorium cataplasma toti buboni à Chirurgo admotum fuit. *℞. mic. pan. tritic. alb. ℥ij. farin. alth. lil. alb. ā ℥j. herb. malv. scabios. scord. rutæ, flor. chamæm. melilot. ā ʒj. farin. semin. lini ℥ß. fænigr. ʒij. ficuum recent. num. vj. cæpar. num. iij. pulveris. & coq. in aq. font. ad formam pultis, sub finem add. ol. scorpion. unguent. resumptiv. ā ℥ß. theriac. Andromach. ʒij. pulv. croci ʒiß. vitell. ovor. num. iij. F. s. a. cataplasma.* Quando autem bubones solo hoc cataplasmate ad completam suppurationem perducti propter cutis densitatem non rumpebantur, illos in parte decliviori Chirurgus scalpello, lansetâ dicto, aperuit, & pure emisso ad ulcus mundandum sequenti linimento usus fuit.

℞. un-

℞. *unguenti apostol.* ℥iij. *terebinth. venet. mell. rosati ā* ℥ij. *theriac. Androm. ol. scorpion. ā* ʒj. *vitell. ovi num. j. F. linimentum.* postea Chirurgus more consueto ulcus consolidavit. Monendum heic est, quòd prædictum cataplasma in magna copia, cùm facilè corrumpatur, parari non debeat, unde si tam citò haberi non possit, illius loco sequens emplastrum substituatur. ℞. *empl. melilot. diachyl. cum gummis ā* ℥j. *ol. scorpion. q. s. misce.* Pauperibus mandavi, cæpas magnas aliquantulum excavatas sub cineribus assare, dein axungiam suillam admiscendo illas contundere, & ad formam cataplasmatis buboni imponere, quod remedium cum felici successu usurparunt. Si istis medicamentis bubones ad suppurationem deduci nequeant, Medicis futuris Loimiatris aliam methodum perutilem commendo, quam *Paulus Barbette*, Practicus quondam *Amsterodamensis* experientissimus, in *tractatu suo de peste* sequentibus verbis proponit. Buboni statim vesicatorium applico, etiamsi tumor nondum sit magnitudinis insignis: cucurbitulas intermitto, quoniam illæ bonos æquè ac malos humores alliciunt, sanguinem alterant & dolorem ac febrem excitant: vesicæ post horas octo vel plures dissectæ emplastrum magneticum imponi jubeo, cujus sanè tanta virtus in peste existit, ut nullum nobilius mihi innotuerit: Formula talis est. ℞. *antimon. crudi, sulphur. flav. arsenic. alb. ā* ℥ij. *subtilissimè pulverisita sepeliantur in phiola in arena, subministretur ignis, donec colliquescant, & colorem rubeum subrubrum induant: vase refrigerato exime materiam, quæ magnes arsenicalis vocatur, & venenata amplius non est, ut in canibus cuilibet experiri licet.*

Postea

Postea ℞. gumm. ſerapin. ammoniac. galban. ā ℥ß. ol. ſuccin. ʒij. terræ vitrioli dulcific. ʒj. gummata diſſolvantur in aceto vini fortis, & per pannum linteum expreſſa bulliendo iterum inſpiſſentur ad priorem conſiſtentiam: deinde ſeorſim colliqua ceram & terebinthinam, & extra ignem agita, donec in ſpiſſitudinem redigantur: adde porro ſupra dicta gummata & magnetem arſenicalem cum terra vitrioli ac oleo ſuccini, ſic habebis emplaſtrum ad extrahenda omnis generis venena efficaciſſimum. Emplaſtrum iſtud hiſce viribus præditum obſervavi: cuti impoſitum ne minimam quidem eſcharam producit, interim malignos humores tam egregiè extrahit, ut bubo juglandi ſimilis intra quatuor aut ſex dierum ſpaciũ prorſus tollatur: verùm hoc non ſemper tam citò ſuccedit, & hæc cauſa eſt, quare neceſſitas ad humores ſubitò evacuandos ſæpenumero veſicam priùs excitari deſideret, imò in corporibus robuſtioribus eſcharam non producit, niſi ope veſicatorii non ſolùm cuticula, ſed etiam cutis quædam portiuncula priùs corroſa fuerit; in corporibus autem tenerioribus nullo veſicatorio præmiſſo eſcharam per ſe excitat. Cruſta hæc veneni extracti vera ſedes eſt, quare mediocriter craſſa reperitur, cute ſuperficialiter tantùm corroſa, quod conſideratione dignum eſt, nam inde colligitur, cur illa multò citiùs ſeparetur quàm aliæ cruſtæ artificio excitatæ; horis enim viginti quatuor aut triginta ſex effluxis, ſolius ſpatulæ auxilio, nullâ præcedente ſcarificatione, abſque ullo aut ſaltem exiguo cum dolore auferri poteſt, ſi ſolum unguentum baſilicum uſurpetur: ſeparationem eſcharæ ſequens unguentum etiam egregiè promovet.

℞. mell.

℞. mell. virgin. axung. anat. ā ℥j. fuligin. camin. ʒvj. terebinth. ℥j. vitell. ovor. num. ij. theriac. ʒiij. ol. ſcorpion. q. ſ. F. unguentum. Quòd ſi tumor cruſtâ primâ ablatâ non ſufficienter ſit imminutus, emplaſtro prædicto magnetico ſecundam vel tertiam excitabis. Tandem ulcus conſolidandum emplaſtro de minio, vel albo coćto, aut diapompholygo: ſed nimiùm ad conſolidationem non feſtinandum, ne humor venenatus in corpore adhuc latitans novum morbum vel ipſam mortem inducat.

OBSERVATIO LXIIX.

Curatio anthracum peſtilentium Chirurgica.

QUamprimum anthrax in peſte apparuit, juſſi Chirurgum per medicamenta ſuppurativa dolores lenire, & tali modo carbunculum à carne vicina ſeparare, unde ſtatim ſequens cataplaſma ad formam pulticulæ *Diemerbrokianæ* præparatum anthraci impoſitum fuit. *℞. farin. rad. alth. ℥ß. ſem. lini, tritic. radic. ſymphyt. maj. ā ʒij. herb. ſcord. ʒj. F. pulv. coq. in aq. font. q. ſ. ad conſiſtent. pult. cui adde mell. opt. terebinth. opt. unguent. apoſtol. ā ʒiij. baſilic. major. ʒiß. theriac. Androm. ʒj. pulv. croci ʒß. vitel. ovi num. j. F. s. a. cataplaſma.* unico hoc remedio ſeparationem carbunculorum factam fuiſſe aliquoties obſervavi, nam quò mitiora illis remedia adhibebantur, eò citior & melior curatio contingebat; anthrace

thrace separato ad mundandum ulcus linimentum, in præcedenti observatione notatum, Chirurgus usurpavit, & posteà more consueto ulcus sanavit. Emplastra & alia topica acriora fortiter attrahentia in hac peste majus damnum quàm commodum attulerunt, hinc in defectu hujus cataplasmatis solum emplastrum basilicum majus vel oxycroceum commune pro pauperibus à me præscriptum fuit.

Plures de peste observationes adhuc in medium proferre possem, sed cùm ferè eædem remediorum formulæ mihi repetendæ forent, illas in publicum proponere supervacaneum judico: notum est Græcorum proverbium:

δὶς κράμβη θάνατος.

Occidit miseros crambe repetita magistros.



OBSERVATIO LXIX.

Melancholia hypochondriaca.

Religiosus quadragenario major, calido & sicco temperamento præditus, ab aliquo tempore melancholiam hypochondriacam passus fuit, quam apud Symmystas suos, quantum potuit, omni arte dissimulavit, sed magno cum suo damno & vitæ periculo: nam inopinatus melancholiæ hypochondriacæ paroxysmus, propter ingentem humorum ab atra bile infectorum copiam, tanto cum impetu illum tempore verno invasit, ut Symmystæ gravi terrore perculsi

meam præsentiam anxiè desiderarent. Sub vesperam adveniens in miserrimo statu Ægrotum inveni: etenim horrendum in modum vociferatus est, instar desperabundi ejulavit, & se à Diabolo obsessum esse exclamavit, unde quoties flatus per gulam emitteret, ad Satanæ vocem sibilumque percipiendum adstantes convocavit. Ut humores tum intra tum extra vasa corrupti præpararentur, sequenti decocto, potus ordinarii loco, usus est: ℞. *cremor. tartar.* ℥ß. *coq. in aq. font. q. s. in colat. mensura unius solve sacchar. rosat. tabul.* ℥j. *spirit. nitri* ℈ij. *misce.* Ob transactas aliquot noctes insomnes noctu laudani mei grana duo usurpavit, & exin per tres circiter horas quievit. Manè vini emetici dosin exhibui, quæ sequens fuit. ℞. *croci metallor. gr. viij. vini albi veter.* ℥j. *bulliant parum & colentur.* Cùm ex usu hujus vini ἄνω τε καὶ κάτω *suprà & infrà* incredibilem humorum illuviem Æger dejecisset, se debiliorem factum esse vesperi ipsemet agnovit, unde illi aliquot cochlearia aquæ cardiacæ plena concessi, refocillatumque erexi monens, talia vomitoria esse Medicorum exorcismos consuetos, quibus per guttur superius & inferius è corpore humano Diabolus expellatur, illorum etiam *Hieronymum Mengum Franciscanum*, in libello suo *flagellum Dæmonum* dicto, mentionem facere, nisi me labilis memoria fallat: quum nomine hujus celebris exorcistæ audito, Symmystæ lecto adstantes, ora in risum solvissent, & illum subrisisse mecum animadverterunt: eâdem nocte rursus laudani opiati mei grana duo usurpavit, ac per aliquot horas dormivit. Tertio die vena in brachio sinistro aperta, & san-

&c sanguis ad libram unam eductus fuit. Cùm ad vesperam symptomata mitiora animadverterem, Symmystis ægri valedixi, & domum rediens per famulum pilulas sequentes contra melancholiam hypochondriacam perutiles transmisi, quarum quindecim singulis tribus diebus cum regimine diætæ concedebantur. *℞. extr. catholic. ℈ij. mercur. dulc. ℈j. extr. helleb. nigr. ʒß. diagrid. ℈ß. ol. major. macis ā gt. iij. misce dilig. & form. pilul. ex ℈j. num. xv. deaur. & consperg. pulv. cinam.* ex diligenti harum pilularum usu error phantasiæ omninò evanuit, & Æger ad sanam mentem redivit. Ratione diætæ jussi cichoream copiosè jusculis carneis incoquere, nam *Joannes Rhodius cent. I. observat. medic. XLIV.* testatur, quòd Professor quidam *Patavinus*, diu plurimis medicamentis, quolibet anno sine efficacia, tantum non confectus, mutato demum consilio, jusculis cichoraceis in prima mensa haustis, melancholiam hypochondriacam profligaverit. Blando verborum alloquio sine severa objurgatione melancholici hujus ægri curationem institui, nam sæpius (uti rectè monet *Cornelius Celsus lib. III. cap. XIIX.*) melancholicis assentiendum quàm repugnandum, paulatimque & non evidenter ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora mens illorum abducenda est, quod duobus raris & claris exemplis comprobat *Tulpius lib. I. observat. medic. XIIX. & XIX.* Insignis Pictor ab atra bile aliquandiu infestatus, sibi falsò imaginabatur, cuncta sui corporis ossa adeò mollia ac flexibilia esse, ut instar sequacis ceræ facillimè in se complicarentur, si vel minimùm in illis inniteretur: quâ opinione menti penitius im-


presſâ continuit ſe per integram hyemem in lecto, veritus inde aliquid ſiniſtri ſi ſurgeret, & certò certiùs eventuram, quam hactenus metuerat, deformem oſſium ſuorum, vel potiùs totius corporis, conglobationem. Quo metu intellecto nolui ipſi adverſari, neque palàm credulam ſurreptum iri quam conceperat imaginationem; aſſerens propterea mollitiem hanc non latere Medicos, quin potius jam diu ab illis animadverſam: imò ſicuti cera emollitur ac induratur, ſic etiam plurimùm in oſſibus poſſe artem medicam, modò ægri morigeros ſe præbeant: ipſius oſſibus intra triduum reſtitutum iri priſtinum ſtabilimentum, & ante diem ſextum potentiam quocunque ambulandi, dummodò dictis obediens fuerit. Quæ promiſſa, dici vix poteſt, quantam excitaverint ſpem recuperandæ ſanitatis, & quàm morigerum reddiderint ægrum in admittendis remediis atræ bili deſtinatis: quâ convenienter ex corpore depulsâ nos facilè fidem noſtram exſolvimus, jubentes ipſum ex cubili ſurgere, in quo integram hyemem decubuerat; ea cum lege ut duntaxat pedibus inſiſteret, neque vel latum unguem procederet, ſecus ſi faceret, penes ſe culpam futuram; ſexto autem die me veniam ipſi daturum quocumque deambulandi, modò ritè arti obtemperet. Quæ certè monita eò fuere rigidiora, quò minùs expediit ipſi dolum hunc reſciſcere, qui quò magis lateret, in medicamentis catarcticis rectè continuavimus: ſecundo appropinquante triduo veritatem promiſſi coram oſtendimus, conceſsâ non tantùm veniâ per conclave ambulandi, ſed etiam in publicum prodeundi, &

di, &

di, & qualiacunque ſani hominis munia jugiter obeundi. Quâ libertate tantoperè gaviſus fuit æger, ut ignoraverit, quibus encomiis extolleret ſanitatis ſuæ Præſulem, admiratus hinc artis potentiam, illinc ſuam diffidentiam deteſtatus, quod tam diu fidem denegaſſet, à qua tam ſalutare conſilium recepiſſet. Vidit hic æger robur oſſibus ſuis reſtitutum, vidit rediviva crurum officia, vidit expeditum inceſſum, vidit alia: ſed ſtultam hanc totius hiemis imaginationem clanculum ſibi eripi nec vidit nec ſenſit, homo cæteroquin minimè ſtupidus, ſed in arte ſua abundè ſagax & vix ulli ſecundus.

Quod ipſum inventum non minus feliciter ceſſit uxori *Salomonis Galeni*, quæ credebat in utero ſuo contineri molam vivam à Medico interimendam: quam operam ſiquidem illi denegaſſes, ſatagens rationibus potiùs quàm ſagaci aliquo ſtratagemate ſententiam illam evellere, operam perdidiſſes, neque vel tantulum profuiſſes ægræ, quam præſtitit clàm circumvenire, quàm palàm convincere. Itaque monita fuit, ut haberet exactam rationem excretorum, & ſi quæ àtra conſpiceret vel nigræ fuligini ſimillima, crederet firmiter jam tum expelli molam ſibi moleſtiſſimam: quibus verbis fidem habens admiſit haud gravatè modò veratrum nigrum modò confectionē hamech & alia expellendæ hujuſmodi inſaniæ apta: quorum ope atrâ bile excretâ non dubitavit amplius de molæ ſuæ internecione, certa, uti credebat, ex ejus occiſæ colliquatione ſequi nigram illam dejectionem, in quam

prædixeram dissolutum iri vivum illud monstrum, quod utero suo inclusum sibi imaginabatur.



OBSERVATIO LXX.

Melancholia hypochondriaca lethalis.

ALium Religiosum ejusdem Ordinis & Conventus paulò ante obitum cognovi, qui ante triginta quinque annos, ut à Symmystis ejus aliquoties mihi relatum est, in Patria urbe Helvetiorum celeberrima philosophiam magno cum applausu, & exsurgentem illo tempore doctrinam *Jansenicam* professus erat: hic propter continuos studiorum labores & frequentes vigilias (quippe ad arcendum somnum remedia suis ignota clam usurpavit) in melancholiam hypochondriacam cum motibus convulsivis incidit. Pater in summa dignitate constitutus, Medicos experientissimos convocando, nullis sumptibus pepercit, ut Filium Familiæ decus & futurum Ordinis sui incrementum à funesto hoc malo liberaret. Sed omnia incassum; nam cunctis medicamentis frustrà usurpatis desperata hæc melancholia cum ætate accrevit, hinc æger perpetuò sibi imaginatus est, se ad Episcopatum *Lausannensem* legitimè vocatum esse, unde ingenti gaudio afficiebatur, quando Symmystæ illum tanquam Episcopum *Lausannensem* salutarent, agnoscerent & venerarentur, tandem

tandem imaginarius iste Episcopus per multos annos paralysi lateris dextri laborans, accedente apoplexiâ fortissimâ supremum vitæ diem obivit. Sic primarius *Ambsterodamensium* Poëta nates sibi vitreas esse credidit, quarum rupturam, si consideret, usque ad obitum metuisse, in propatulo est. Dubio procul etiam *Danus* ille, qui nasum sibi in eam magnitudinem excrevisse imaginabatur, ut publico abstineret, ne nasus à transeuntibus conculcaretur, simile fatum expertus fuit. Adhuc alia melancholicorum exempla nota sunt, qui errores imaginatrici impressos obstinatè usq; ad ultimum vitæ halitum defenderunt.

OBSERVATIO LXXI.

Morbus virgineus.

Nobilissima Virgo annum ætatis decimum ingressa sensim macilenta & pallida evasit. Solliciti de sanitate Filiæ & febrem in illa metuentes hecticam Parentes me vocarunt. Habito examine conquesta fuit de appetitu ciborum imminuto, cordis palpitatione, difficili respiratione & spontaneâ totius corporis lassitudine: porrò retulit se cibo assumpto comprimentem stomachi dolorem sentire, & molestam abdominis inflationem observare. Ad humores circa regionem stomachi, pancreatis & mesenterii stagnantes, illarumque partium vasa obstruentes successivè digerendos sequens pulvis & pilulæ præscriptæ sunt.

℞. cremor. tartar. ℥ß. tartar. vitriolat. ex ſale tartar. criſtallis. fact. ʒij. fæcul. bryon. ʒj. F. pulv. dividendus in octo partes æquales, quarum una in brodio manè ſumatur. ℞. extr. pilul. marocoſtin. Minder. ℈ij. ammoniac. Quercetan. ℈j. ol. macis gt. iij. miſc. dilig. forment pil. ex ℈j. num. xviij. deaur. conſperg. pulv. cinamomi: novem horâ ante cœnam uſurpentur. Finito hujus pulveris & pilularum uſu ad blandam humorum præparatorum evacuationem ſequens ſacculus purgans præſcriptus fuit. *℞. rad. bryon. polypod. cort. tamaric. ā ʒiß. herb. betonic. marrub. alb. agrimon. ceterach. artemiſ. ſummit. centaur. min. abſinth. ā ℔j. folior. ſenn. elect. ℥iß. agaric. rec. troch. ℥ß. ſem. aniſi ʒiß. cinamom. ʒj. inciſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui menſura vini albi veteris affundatur, de cujus colatura ℥vj. manè alternis diebus cum regimine diætæ ſumantur.* Hinc melius ſe habuit; unde ad viſcera roboranda ſequens tragea & rotulæ præſcriptæ fuerunt. *℞. ſpec. aromat. caryophyll. ʒij. lætific. Galeni ʒj. diamargar. calid. ʒß. ol. caryophyll. cinnam. ā gt. iij. ſacch. opt. ℥vj. F. s. a. tragea manè & veſperi more conſueto uſurpanda. ℞. ſpec. aromat. caryophyll. ʒiß. diagalang. ʒß. fæcul. bryon. ℈ij. confect. alkerm. incompl. ʒij. ol. macis, cinnam. ā gt. iij. ſacch. opt. aq. meliſſ. ſolut. ℥iiij. F. s. a. rotulæ pro beneplacito uſurpandæ.* Ex uſu horum remediorum omnia ſymptomata remiſerunt, & nobiliſſima iſta Virgo omnimodè convaluit.

OBSER-



OBSERVATIO LXXII.

Dolor colicus pro nephritico habitus.

SEnatoris Uxor noctu acutissimos abdominis dolores passa fuit. Maritus amicus meus singularis summo manè me accessit, & officiosè rogavit, ut uxorem è dolore nephritico periculosè decumbentem inviserem: comparui, mox conqueritur ægra de doloribus ventris infimi atrocissimis, quos vomitus biliosus ac pituitosus comitetur, se vereri, ne magnus sublateat calculus, qui exitum invenire non possit. Cùm autem ex ægrotæ relatu intellexissem, dolorem fixum non esse, sed per totum abdomen vagari, indicavi me valdè dubitare, an renum calculus illam discruciet, commodius hosce dolores ad colicam quàm ad nephritidem referri: unde statim ægræ sequentem clysterem præscripsi. ℞. *rad. alth.* ℥iß. *herb. veronic. betonic. melis. malv.* ā *Mj. flor. sambuc. Pj. sem. lini* ℥ß. *anisi* ʒij. *coq. in colat.* ℥x. *solv. mell. rorismar.* ℥ij. *elect. lenitiv.* ℥iß. *ol. anethin.* ℥j. F. *clyster.* Ad flatus discutiendos abdomen sequenti linimento calidè inunctum fuit. ℞. *ol. menth. chamæm. nardin.* ā ʒij. *still. absinth.* ℈j. *unguent. resumptiv. q. s.* F. *linimentum.* Ante prandium redeunti retulit ægra, clysterem & flatus & humores biliosos cum aliquali pituita mixtos eduxisse, unde doloris mitigationem perciperet, quapropter autor fui, ut horâ tertiâ pomeri-

℞. cremor. tartar. ℥ß. *tartar. vitriolat. ex sale tartar. cristallis. fact.* ʒij. *fæcul. bryon.* ʒj. *F. pulv. dividendus in octo partes æquales, quarum una in brodio manè sumatur.* ℞. *extr. pilul. marocostin. Minder.* ℈ij. *ammoniac. Quercetan.* ℈j. *ol. macis gt. iij. misc. dilig. forment pil. ex* ℈j. *num. xviij. deaur. consperg. pulv. cinamomi: novem horâ ante cœnam usurpentur.* Finito hujus pulveris & pilularum usu ad blandam humorum præparatorum evacuationem sequens sacculus purgans præscriptus fuit. ℞. *rad. bryon. polypod. cort. tamaric.* ā ʒiß. *herb. betonic. marrub. alb. agrimon. ceterach. artemis. summit. centaur. min. absinth.* ā P j. *folior. senn. elect.* ℥iß. *agaric. rec. troch.* ℥ß. *sem. anisi* ʒiß. *cinamom.* ʒj. *incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi veteris affundatur, de cujus colatura* ℥vj. *manè alternis diebus cum regimine diætæ sumantur.* Hinc melius se habuit: unde ad viscera roboranda sequens tragea & rotulæ præscriptæ fuerunt. ℞. *spec. aromat. caryophyll.* ʒij. *lætific. Galeni* ʒj. *diamargar. calid.* ʒß. *ol. caryophyll. cinnam.* ā *gt. iij. sacch. opt.* ℥vj. *F. s. a. tragea manè & vesperi more consueto usurpanda.* ℞. *spec. aromat. caryophyll.* ʒiß. *diagalang.* ʒß. *fæcul. bryon.* ℈ij. *confect. alkerm. incompl.* ʒij. *ol. macis, cinnam.* ā *gt. iij. sacch. opt. aq. meliss. solut.* ℥iiij. *F. s. a. rotulæ pro beneplacito usurpandæ.* Ex usu horum remediorum omnia symptomata remiserunt, & nobilissima ista Virgo omnimodè convaluit.

OBSER-



Observatio LXXII.
Dolor colicus pro nephritico habitus.

SEnatoris Uxor noctu acutissimos abdominis dolores passa fuit. Maritus amicus meus singularis summo manè me accessit, & officiosè rogavit, ut uxorem è dolore nephritico periculosè decumbentem inviserem: comparui, mox conqueritur ægra de doloribus ventris infimi atrocissimis, quos vomitus biliosus ac pituitosus comitetur, se vereri, ne magnus sublateat calculus, qui exitum invenire non possit. Cùm autem ex ægrotæ relatu intellexissem, dolorem fixum non esse, sed per totum abdomen vagari, indicavi me valdè dubitare, an renum calculus illam discruciet, commodius hosce dolores ad colicam quàm ad nephritidem referri: unde statim ægræ sequentem clysterem præscripsi. ℞. *rad. alth.* ℥iß. *herb. veronic. betonic. meliss. malv.* ā *Mj. flor. sambuc. Pj. sem. lini* ℥ß. *anisi* ʒij. *coq. in colat.* ℥x. *solv. mell. rorismar.* ℥ij. *elect. lenitiv.* ℥iß. *ol. anethin.* ℥j. *F. clyster.* Ad flatus discutiendos abdomen sequenti linimento calidè inunctum fuit. ℞. *ol. menth. chamæm. nardin.* ā ʒij. *still. absinth.* ℈j. *unguent. resumptiv. q. s. F. linimentum.* Ante prandium redeunti retulit ægra, clysterem & flatus & humores biliosos cum aliquali pituita mixtos eduxisse, unde doloris mitigationem perciperet, quapropter autor fui, ut horâ tertiâ pomeri-

K 5 dianâ

dianâ alium clyſterem uſurpet, qui vitioſos iſtos humores majori virtute educet. ℞. *rad. bryon.* ℥j. *acor.* ℥ß. *herb. meliſſ. menth. veronic.* ā *Mj. flor. chamæm. Pj. ſemin. carui,* ʒiij. *coq. in colat.* ℥x. *ſolve elect. diacatholic.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ℥ß. *ol. rutæ* ℥j. *menth.* ℥ß. *F. clyſter.* cujus felicem operationem mihi ad veſperam ſatis deprædicare non potuit ægra, nam bilem & pituitam viſcidam ac glutinoſam incredibili copiâ eduxit; unde omnis dolor evanuit: ad reliquias humorum educendas juſſi potiunculam purgantem die ſubſequenti uſurpare. ℞. *rhabarbar. opt.* ʒiij. *agaric. trochiſc.* ʒiß. *cremor. tartar.* ʒj. *ſemi. aniſi* ʒß. *aq. meliſſ. veronic.* ā *q. ſ. infund. per noct. manè bulliant parùm in colat.* ℥iij. *ſolv. ſyr. flor. perſicor.* ℥j. *aq. cinnam.* ʒij. *F. potiuncula manè cùm regimine diætæ uſurpanda.*

Teſtatur experientia fida artis medicæ Magiſtra, quod propter ſignorum doloris colici & nephritici affinitatem non ſaltem plurimi ægri, ſed etiam exercitati Medici aliquoties decipiantur; imò eundem errorem in ſemetipſo commiſit Medicorum Princeps *Galenus*, uti *lib. II. de loc. affect. cap. V.* liberè confitetur. οἶδα ἐμαυτῷ συμβᾶσαν ὀδύνην σφοδροτάτην ὡς τρυπάνῳ δοκεῖν διατετρᾶσθαι κατὰ τὸ βάθος τῆς κοιλίας ἐν ἐκείνῳ μάλιστα τῷ χωρίῳ, καθ' ὃ τοὺς ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐπὶ τὴν κύστιν οὐρητῆρας ἐκτεταμένους ἴσμεν· αὐτ' ἐνεθέντος πηγανίνου ἐλαίου μικρὸν ὕστερον ἀποκρῖναι προθυμηθεὶς αὐτὸ συνεξέκρινα μετὰ σφοδροτάτης ὀδύνης τὸν ὑαλώδη προσαγορευόμενον ὑπὸ Πραξαγόρου χυμὸν, ὃς ὑάλῳ κεχυμένῃ προσέοικεν τὴν χροιὰν καὶ τὴν σύστασιν· ἐθεασάμην δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ ἄλλοις συμβάν. *Memini mihi ipſi accidiſſe dolorem vehementiſſimum, ut videre mihi viderer, in intimo ventre terebro perforari, in eo potiſſimùm ſpacio, per quod à renibus ad veſicam ureteres*

ſcimus

ſcimus extendi: injecto deinde rutaceo oleo, cùm id paulò poſt excernere tentarem, excrevi ſimul graviſſimo cum dolore humorem vitreum à Praxagora *appellatum, quippe vitro fuſo tum colore tum ſubſtantiâ haud abſimilis erat, atque id aliis quoque accidere conſpexi.* P.P. ἐγὼ μὲν οὖν ᾤηθην, λίθον ἐμπεφράχθαι κατὰ τὸν ἕτερον τῶν οὐρητήρων· οὕτω καὶ τὸ τῆς ὀδύνης εἶδος αὐτοῦ τῷ τιτρῶντι παραπλήσιον ἐφαίνετο. δῆλον δὲ ἐγένετο μετὰ τὴν ἔκκρισιν τοῦ χυμοῦ παυσαμένης τῆς ὀδύνης, ὡς οὔτε λίθος ἦν αἴτιος οὔθ᾽ ὁ πάσχων τόπος οὐρητὴρ ἢ νεφρός. ἀλλά τι τῶν ἐντέρων καὶ μᾶλλον ἴσως τῶν παχέων. *equidem putabam lapidem in altero uretere impactum, adeò erat, ut mihi videbatur, doloris ipſius ſpecies perforanti ſimilis, atque vacuato humore doloreq; ſedato manifeſtè conſtabat neque lapidem fuiſſe cauſam, neque in ureteribus aut renibus locum fuiſſe affectum, ſed in inteſtinis potiùs, præcipuè verò craſſioribus.*

Inde arduam & multis difficultatum ſcopulis obviam doloris colici à nephritico dolore diſtinctionem eſſe aſſerit *Guernerus Rolfincius lib. III. epitom. cap. XIII.* quam tamen ſequentibus ſignis dolores iſtos luculenter diſtinguentibus abſolvi, aliquoties in praxi mea medica obſervavi. Primum eſt: in nephritide dolor gravis circa lumborum regionem advertitur, ſi nempe calculus infixus eſt renibus, hi enim obtuſo ſenſu donati gravantem dolorem percipiunt, quoties autem calculus in caput ureteris ſe inſinuat, dolorem deſcendentem acutum & pungentem quidem ſed ſimul fixum excitat, qui tamdiu perſeverat, quamdiu calculus ibi hæret. In colica dolor ſemper obſervatur vagabundus, qui propter varium inteſtini coli ſitum nunc aſcendit nunc deſcendit, flatuum murmura per totum abdomen vagantur, & aliquando dextram, aliquando ſiniſtram, abdominis regionem

occu-

occupant, quamvis ὅλῳ τῷ θυλάκῳ concedam Viro cuidam clarissimo, quòd in sinistro latere frequentiùs ob loci angustiam gravissimi dolores colici oriantur. Secundum est: in dolore nephritico urina ab initio clara & tenuis apparet, ac dein arenulæ vel lapilli excernuntur, καὶ μετὰ ταῦθ' ὕστερον ἐπισκεπτομένῳ σοι τὰ οὖρα ψαμμώδεις ὑποστάσεις εὑρεθήσονται, & *postea urinas si inspexeris, sabulosa subsidere invenies*, uti *Galenus* dicto loco rectè affirmat. Econtra in dolore colico urinæ rubræ, bile nimiâ tinctæ & crassæ apparent. Tertium est: in nephritico dolore vomitus cibum & potum assumptum mox comitatur, quæ renum cum ventriculo sympathia juxta *Riolanum* in *animadv. ad Laurent. anatom. p. m. 661.* dependet à plexu nervorum *Fallopiano* renibus interjecto, unde illis affectis propter viæ brevitatē plexus iste statim ventriculo suam affectionem communicat. In dolore colico cibus & potus assumptus non tam citò per vomitum rejiciuntur, sed sæpiùs per aliquot horas in corpore manent, quibus demùm rejectis aliqua portio bilis & pituitæ simul expellitur. Quartum est: in dolore nephritico ægri ab usu clysterum, licet aliquoties excrementa cum flatibus deponant, ferè nullum levamen sentiunt, donec lapillus in vesicæ cavitatem protrusus, & postea foras expulsus fuerit. Econtra in colico dolore ægri eximiè sublevantur, quando clysteres injecti excrementa adstrictioris utplurimùm alvi biliosa & glutinosa cum innumeris flatibus educunt. Quintum & ultimum est: in dolore nephritico oritur retractio testiculi καθ' ἴξιν *è directo*, quoniam ureteres inclusi duplicaturâ peritonæi medico

dio cursu vasa spermatica contingunt, & quò propius ad vesicam accedunt, deferentia seminis vasa comitantur, unde scrotum dimidia ex parte laxum & vacuum apparet. In colico dolore nulla fit testiculi retractio, imò si dolor maximus urgebat, scrotum à copia flatuum deorsim propulsa adeò extensum observavi, ut ad rupturam imminentem avertendam omni studio mihi allaborandum fuerit.



OBSERVATIO LXXIII.

Hypercatharsis ex præpostero hellebori nigri usu.

PHarmacopola quidam Viro triginta circiter annorum tempore vernali sacculum purgantem vino albo immergendum concessit, de quo cùm iste duas doses bibisset, subitaneam hypercatharsin & atrocissima intestinorum tormina cum dysenteriæ & convulsionis metu passus fuit: ex quibus symptomatibus & titubanti Pharmacopolæ loquela ac frigida excusatione abundè collegi, in majore dosi helleborum nigrum sacculo admixtum fuisse: unde sequentia remedia præscripsi. ℞. *Lact. vaccini* ℥viij. *ol. nymph.* ℥j. *vitell. ovor. num.* ij. *F. clyster*: ex quo cùm magnum levamen ratione torminum Æger perciperet, ille ter repetitus fuit. ℞. *aq. epileptic. nostr.* ℥ij. *cardiac. officin.* ℥j. *cinnam.* ʒij. *syr. pæon.* ℥iß. *ju-*

℥iß. julep. rosat. ℥ß. misce, de quo sæpius cochlear plenum usurpetur. ℞. conserv. rosar. rubr. ℥ij. cydonior. condit. ℥j. cortic. citri condit. ℥ß. theriac. Andromach. ʒiß. mithrid. opt. ʒj. syr. de rosis sicc. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur. Pro potu ordinario emulsionem amygdalinam bibit, & noctu granum laudani opiati & extracti castorei in duas pilulas redactum sumpsit. Sequenti die ægrum manè invisi, qui meliùs se habuit, nam prædicta symptomata ferè omnia cessarunt, hinc jussi, ut ad robur viscerum & præsertim intestinorum cum usu electuarii pergeret, & ita Ægroto valedixi. Qualem malorum lernam iste Pharmacopœus cum suo sacculo helleborato, ita alii seplasiarii cum extracto catholico, rotulis antimonialibus & electuario de succo rosarum, in corporibus humanis iliadem malorum excitarunt: adeò istis unguentariis (verba sunt *Thom. Barthol. centur. II. epist. medic. I.*) ubique gentium prurit cutis, ut intra officiũ se nequeant continere, plerumque enim vani ostentatores ad exercendam medicinam furtim se ingerunt, quumque apud ægros inferius tantùm guttur eluere deberent, superius inquinare audent, & relicto ministerio servili, cui dicati sunt, Dominorum suorum seu Medicorum famæ & fortunis insidias struunt, uti hoc idem *Bartholinus* in declaratione fraudum & errorum à talibus Pharmacopœis commissorum, olim Gallicè à *Lisseto Benancio* edita, & à se Latinitate donatâ eleganter demonstrat.

OBSER-



OBSERVATIO LXXIV.

Angina.

Mercator juvenis annorum circiter viginti quatuor inopinatum dolorem faucium & degluttiendi difficultatem passus est. Manè vocatus ad illum in partibus exterioribus nullum tumorem observavi, sed partes faucium internas inflammatas esse conspexi: alimenta esculenta nullo modo, potulenta autem vix ac ne vix deglutire potuit, calorque febrilis universum corpus & inprimis faciem occupavit. Ob alvum à duobus diebus adstrictam clyster conveniens injectus fuit. *℞. rad. alth. ℥iß. herb. 4. emollient. ā Mj. sem. anisi ʒij. coq. in aq. font. q. s. in colat. ℥viij. solve elect. diacatholic. ℥iß. mell. violar. ℥ij. F. clyster.* post ejectum clysterem venæsectio in brachio dextro instituta, & ad affluxum humorum blandè avertendum gargarismo usus fuit. *℞. aq. plantagin. ℥iiij. brunell. ℥ij. syr. granator. papaver. rhead. ā ℥j. F. gargarismus tepidè usurpandus.* Pro potu ordinario sequens decoctum præscripsi. *℞. rad. acetos. ʒiij. liquir. ras. ʒj. jujubar. recent. par. iiij. sem. anisi ʒj. coq. in aq. font. q. s. in colat. mensura unius solve syrup. violar. purpur. ℥iiij. papav. rhead. ℥ij. spir. sulphur. ℈ij. misce.* Secundo die, cùm inflammatio faucium nondum cessaret, jussi manè venas raninas sub lingua aperire, & vesperi cucurbitulas cum scarificatione scapulis admovere. Tertio die, quùm materiæ collectæ copia nullam resolutionem

nem admitteret, ad remedia ſuppurativa deſcendi, & ſequens emplaſtrum ac gargariſmum præſcripſi. ℞. *empl diachyl. ſimplic. melilot. ā* ℥ß. *ol. chamæm. q.ſ.* F. *emplaſtrum.* ℞. *rad. liquir. raſ.* ʒiij. *herb. malv. ſcabioſ. farfar. ā* Mß. *jujubar. recent. par. vj. ficuum recent. num. iij. coq. in aq. font. q.ſ. in colat.* ℥viij. *ſol. mell. roſat. ſyr. jujubin. ā* ℥iß. F. *gargariſmus tepidè uſurpandus.* Ex uſu horum remediorum quinto die abceſſus ſponte ruptus fuit, pus copioſum effluxit, ulcusque ſequenti gargariſmo mundatum & conſolidatum fuit. ℞. *aq. brunell.* ℥iiij. *plantagin.* ℥ij. *mell. roſat.* ℥iß. *ſyr. papav. rhead.* ℥ß. F. *gargariſmus tepidè uſurpandus.* Hinc Æger omnimodè convaluit.

In deſperata angina juniores Medicos ſecurè ad venæ jugularis externæ apertionem deſcendere, in *exercit. de apoplex.* §. XI. oſtendi, imò laryngotomiam tutò inſtitui poſſe, *Riolanus lib. III. anthropogr. cap. XIV.* ante *nonneminem* ſequentibus verbis declaravit. Canalis aſperæ arteriæ ex annulis cartilagineis figurâ ſigmoideis dimidiatum circulum referentibus exſtructus eſt: ſunt autem cartilagines ab invicem diſtinctæ, ſed interventu membranulæ inter ſe revinctæ, inde fit, ut in angina ſuffocante fruſtra tentatis & adminiſtratis omnibus remediis laryngotomia vel bronchotomia ſecurè fieri poſſit infrà laryngem: diſciſſa cute ſpatium membranoſum duabus cartilaginibus interjectum aperiatur, & exiguâ fiſtulâ introductâ tamdiu relinquetur ad reſpirandum, donec tumore fauces conſtringente reſoluto vel ſuppurato reſpirandi per os libertas reſtituatur.

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.
Uvulæ relaxatio.

REverendus & Eruditissimus *Dn. Jo.Georg. Irmlerus*, quondam Canonicus & Parochus *Rheinfeldensis*, singulari amicitiæ nexu mihi conjunctus, sæpè relaxationi uvulæ sine ulla inflammatione obnoxius fuit, quam sequenti pulvere feliciter sustulit. ℞. *cort. granator.* ℈j. *radic. ireos. florent. tormentill. bistort. flor. rosar. rubr. balaustior. alumin. usti.* ā ℈ß. *F. pulvis subtilissimus.* Chirurgus linguam spatulâ oris sic dictâ comprimit, & portiunculam hujus pulveris per calamum scriptorium insufflando uvulæ adspergit. Nonnulli pulverem piperis longi admovent, quod remedium periculo non vacat, siquidem metuendum est, ne humores affatim à cerebro ad partem affectam attracti grave aliquod damnum afferant.

OBSERVATIO LXXVI.
Uvulæ casus.

MErcatoris famulus quindecim annorum, manè casum uvulæ cum sermonis interceptione passus fuit: vocatus ad illum animadverti, quòd vix vocem proferre, nec cibum vel potum deglutire possit: mox sequentem garga-

rismum præscripsi. ℞. *rad. tormentill. bistort. ireos florent.* ā ʒij. *cort. granator.* ʒiß. *herb. malv. arbor. brunell.* ā Mß. *flor. rosar. rubr. granator.* ā Pj. *sem. cydonior.* ʒj. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥viij. *solv. mell. rosat.* ℥ij. *alumin. usti* ℈j. F. *gargarismus tepidè usurpandus.* unico hoc remedio æger sanitati restitutus fuit.



OBSERVATIO LXXVII.

Raucedo diuturna.

MErcator quadraginta annorum per aliquot annos molestâ raucedine laboravit: plurimorum Medicorum auxilio usus, tandem etiam meum consilium desideravit. Cùm à serosis salsisque humoribus ad fauces & pulmonem defluentibus contumax hæc raucedo originem traxisset, illi elixir purgans hydragogum præscripsi. ℞. *magist. radic. jalap.* ℈ß. *elix. vitæ Matthiol.* ʒj. *solvatur:* unde aliquoties æger blandè purgatus fuit. Secundo die gargarismum convenientem usurpavit. ℞. *radic. liquir. ras.* ʒiij. *alth.* ʒij. *herb. malv. scabios. farfar.* ā Mß. *flor. papav. rhead.* Pj. *sem. anisi* ʒj. *jubar. recent. par.* v. *coq. in aq. decoct. hordei q. s. in colat.* ℥viij. *solve syr. papav. rhead. mell. rosat.* ā ℥j. F. *gargarismus tepidè usurpandus:* unde faucium asperitas non parùm mutata fuit. Tertio die elixir purgans cum fructu repetiit. Quinto die sequentia remedia præscripsi, quorum usum per integram septimanam continuavit. ℞. *syr. papav. rhead. alth. Fern. jujubin.*

farfar.

farfar. ā ℥j. aq. ſcabioſ. ℥ß. miſce, de quo æger ſæpius cochlear plenum ſumat. ℞. ſucc. liquir. recent. ʒij. ſpec. diatrag. frigid. diairios ſimplic. ā ℈ij. gumm. arabic. el. fæcul. rad. aronis ā ℈j. oliban. elect. lact. ſulphur. ā ℈ß. mucilag. gummi tragacanth. aq. roſar. extr. & ſacch. opt. ā q. ſ. F. ſ. a. trochiſci ſæpius inprimis autem noctu uſurpandi. ℞. conſerv. roſar. rubr. ℥iß. violar. radic. enulæ cond. ā ℥ß. ſpec. diairios ſimplic. diatragacanth. frigid. ā ℈j. ſyr. farfar. jujub. ā q. ſ. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucis moſchatæ ſumatur. Pro potu ordinario ſequens decoctum bibit, quod per aliquot menſes continuavit. ℞. *radic. chinæ recent. ℥ß. ſarſæparill. ʒiij. lign. ſaſſafr. ʒij. inciſa coq. in aq. font. q. ſ. ad menſuras duas.* ex uſu horum remediorum diligenti moleſtiſſima iſta raucedo mitigata, & vox clarior reddita fuit. Antequam ipſi valedicerem, juſſi ad humores ſeroſos blandè educendos ſingulis menſibus pilulas convenientes uſurpare. ℞. *extr. pilul. aurear. ℈j. cochiar. ℈ß. magiſt. rad. jalap. ℈j. diagrid. ſive pulver. ſirij ℈ß. ol. aniſi gt. iij. miſce diligenter, forment. pilul. ex ℈j. num. xviij. deaur. ad. pulv. cinamomi:* doſis ſunt pilulæ novem ſingulis menſibus uſurpandæ.



OBSERVATIO LXXIIX.

Icterus flavus cum scirrho hepatis, asthmate & ascite tympanitico.

REverendissima & Nobilissima Domina MARIA APOLLONIA DE OFFENBURG, Abbatissa *Otmarshemiensis*, quinquagenariâ major, diversorum affectuum insultibus conflictata, meam præsentiam desideravit, hinc *die XVI. Octobris Anno* CIƆ IƆCLXI. vocatus illam invisi. Ante omnia se oculis subjecit morbus regius, nam color flavus in universo corpore conspiciebatur, quem pruritus partium externarum, amaror linguæ, appetitus prostratus, urina crocea, febris lenta, alvus adstricta, ac interdum vomitus biliosus comitatus fuit. Hisce accessit durities sub hypochondrio dextro circa jecinoris regionem, unde scirrhum hepatis sub latere collegi. Porro aderat molestum asthma, quod mihi videbatur ortum traxisse tum à pituitosis humoribus bronchia pulmonum obstruentibus, tum à scirrho hepatis, qui naturalem diaphragmatis motum impedivit. Tandem abdomen à flatibus nimiis serosisque humoribus extensum, cum insigni femorum & pedum tumore ascitem tympaniticum, ob oculos posuit. Præsentibus nobilissimis Sororibus indicavi, ægram Dominam *Abbatissam* in summo vitæ periculo

culo versari, cùm non unus sed plures urgeant affectus, qui spem vetant inchoare longam. Responderunt illæ, valetudinem dilectissimæ sororis arti & diligentiæ meæ commendatam, & ancipitis morbi exitum Divinæ providentiæ commissum esse. Unde sequentia remedia præscripsi. ℞. *rad. apii, rubiæ tinctor. enulæ, ā ʒiß. herb. chelidon. cichor. agrimon. marrubii alb. summit. centaur. minor. absinth. ā Pj. folior. senn. elect. ℥ij. rhabarb. opt. ℥ß. radic. mechoac. opt. ʒiij. cremor. tartar. ℥ß. sem. anisi ʒij. ras. eboris ʒiß. spec. diatrionsantal. ʒß. cinamom. ʒj. incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui vini alb. ℔iij. & aq. chelidon. ac fragar. ā ℥viij. affundantur, de quibus manè alternis diebus ℥vj. cum regimine diætæ usurpentur.* Pro potu ordinario sequens decoctum bibit. ℞. *rad. acetos. ℥ß. fragar. ʒij. liquir. ras. ʒj. jujubar. recent. par. iiij. C. C. usti ℥ß. incisa coq. in aq. fontan. q. s. in colat. mensur. duarum solve sacch. rosat. tabul. ℥ß. nitri præpar. ʒij. misce.* ℞. *spec. diairios simplic. ʒiß. diarrhod. abbat. ʒj. rasur. ebor. ocul. cancr. præpar. ā ʒiß. confect. alkerm. incompl. ʒj. ol. anisi gt. vj. sacchar. opt. aq. scabios. meliss. & cinnam. sol. ℥iiij. F. s. a. rotulæ pro beneplacito usurpandæ.* ℞. *gummi ammoniac. in aceto scyllyt. sol. unguenti resumptiv. ā ℥ß. santal. rosat. ā ʒij. ol. cappar. q. s. F linimentum, quo dextrum hypochondrium manè & vesperi calidè inungatur.* Cùm ex horum remediorum usu levamen sensisset Ægra, die XXV. ejusdem mensis me rursus vocavit, hinc prædictorum symptomatum aliqualem mitigationem observans sequentia remedia consului. ℞. *syr. rosati compositi ex sena, rhabarbaro & agarico ℥j. elect. de succo rosar. ʒiij. aq. chelidoniæ q. s. F. potiuncula manè cum regimine diætæ sumenda.* [Formula hujus syrupi sequens

 est.

est. ℞. *folior. senn. elect.* ℥vj. *rhabarbar. opt.* ℥ij. *agaric. recenter trochisc.* ℥j. *cinam. opt.* ℥ß. *zingib.* ʒij. *insus. rosar. & sacchar.* ā ℥xxxij. F. *s. a. syrupus:* qui longo usu in officinisBasileensibus pharmaceuticis approbatus, humores quoscunque noxios, sine ulla naturæ violentia educit: dosis summa sunt unciæ tres.] ℞. *conserv. rosar. rubrar. flor. betonic.* ā ℥j. *cort. citri condit.* ℥ß. *roob ribium* ʒiij. *croci* ♂. *aperitiv.* ʒij. *spec. diatrionsantal.* ʒß. *ol. anisi gt.* iiij. *macis, cinamom.* ā *gt.* ij. *syr. farfar. alth. Fernel.* ā. *q. s.* F. *electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur.* ℞. *aq. chelidon. cichor. scabios.* ā ℥iiij. *syr. berber. papav. rhead. granator.* ā ℥j. *spir. salis gt.* x. F. *julepus pro quatuor dosibus ad beneplacitum sumendis.* Ultimo die Octobris per literas indicavit, quod majorem respirationis difficultatem & abdominis tensionem, cum aliquali suppressione urinæ & alvi perciperet, hinc sequentia remedia transmisi. ℞. *amygdalar. dulc. recent. excortic.* ℥ß. *sem. cucum. melon. recent. excortic.* ā ʒij. *aq. heder. terrestr. chelidon. fragar.* ā ℥ij. F. *emulsio, ad. sacch. rosat. tabul.* ℥ß. *ocul. cancri præpar.* ʒj. *misce, sumatur in duabus dosibus.* ℞. *gutt. gamandr.* ℈ß. *ol. anisi gt.* iij. F. *pilulæ* vij. *deaur. usurpentur manè cum regimine diætæ.* ℞. *syr. alth.* Fern. ℥ij. *jujub. farfar.* ā ℥j. *oxymel. scyllyt.* ℥ß. *aq. cardiac. offic.* ℥ß. *misce, de quo cochlear plenum pro lubitu sumatur.* ℞. *folior. senn. elect.* ℥j. *cremor. tartari* ℥ß. *sem. anisi* ʒij. *aq. fragar. betonic.* ā *q. s. infund. per noct. manè bulliant par. cum colatura sufficiente coq. passular. minor. elect.* ℥iiß. *sub finem add. facch. opt.* ℥j. *ol. anisi* ℈j. *misce ad ollam, sumatur cochlear plenum contra alvi adstrictionem, horâ ante cœnam.* Die Novembris decimo per epistolam monuit, durante cum ictero abdomen quotidie magis in-

gis intumefcere, & in hypochondrio dextro gravantem dolorem urgere, qui ex decubitu in latus finiftrum magis magisque exacerbetur, unde fequentia remedia præfcripfi. *℞. extr. pilul. de ammoniac. Quercet. ℈ij. magift. radic. jalap. gutt. gamandr. ā ℈j. ol. anifi gt. vj. F. maffa, ex cujus ℈j. formientur pilulæ xviij. deaur. & confperg. pulv. cinamomi: novem fingulis menfibus ter manè cum regimine diætæ fumantur. ℞. rad. ononid. ℥j. enulæ, cort. fambuc. ā ℥ß. ebuli ʒij. herb. chelidon. heder. terreftr. chamædr. fcabiof. agrimon. fummit. centaur. minor. abfinth. ā Pj. cremor. tartar. ℥iß. baccar. juniper. ʒij. incifa & contufa dentur ad facculum ex findone albo, cui menfuræ tres vini albi affundantur, de quibus ℥iiij. duabus circiter horis ante prandium & cœnam fumantur. ℞. radic. alth. lil. albor. ā ℥j. bryon. ℥ß. herb. 4. emollient. ā Mj. flor. chamæm. melil. ā Pj. femin. lini ʒvj. fœnigr. ʒiij. aneth. ʒij. incifa coq. in vini alb. & aq. font. ā q. f. ad remanent. ℔iiij. immerfis in colatura linteis duplicatis & rurfum expreffis hypochondrium dextrum manè & vefperi tepidè foveatur.* Die vigefimo hujus menfis omnia in pejus ruebant, nam inopinata acceffit urinæ fuppreffio, unde totum abdomen, femora & pedes ita intumuerunt, ut ob metum fuffocationis Ægra lectum relinquere, & in fella federe coacta fuerit, iterum accerfitus fequentia remedia diuretica confului. *℞. ciner. fabar. juniper. abfinthii ā ℥j. vini alb. aq. font. ā ℔iiij. bulliant. par. poftea colentur aliquoties ad formam lixivii, dein colat. add. facch. opt. ℥iiij. aq. cinnam. ℥ij. mifce, de hoc potu manè ℥iiij. jejuno ftomacho bibantur. ℞. aq. ononid. fragar. fambuci ebuli ā ℥vj. facch. opt. ℥ij. fal. ononid. juniper. fabar. abfinth. ā ℈j. mifce, de quo xiiij. vefperi duabus horis ante cœnam bibantur.* Ex ufu horum remedio-

mediorum urina ordinariam viam suam acquisivit, sed quum singulis diebus orthopnœa augmentum sumeret, accedentibus ex suffocatione leipothymiis Nobilissima ista Abbatissa huic mundo valedixit.



OBSERVATIO LXXIX.

Consimilis priori affectus cum epistolis *VIRI Amplissimi & Excellentissimi* DN. JOH. JACOBI WEPFERI Diversorum S.R.I. Principum Archiatri celeberrimi *unà cum responsis.*

CUm Generosus Dominus OTTO HENRICUS DE SCHOENAV &c. similibus in præcedenti observatione descriptis symptomatibus ab aliquo tempore correptus fuisset, Reverendissimus & Nobilissimus Dominus FRANCISCUS RUDOLFUS DE SCHOENAV Ecclesiæ Cathedralis *Basileensis* Canonicus & Custos &c. Ægroti Frater, nec non tristissima, Mater præsentiam meam desideravit, ut propter periculosum hunc affectum cum V. C. *Dn. Johanne Jacobo Bentzio* Medico ordinario conferrem. Quum autem præsens icterum flavum contumacem,

cem, appetitum proſtratum, in regione hepatis duritiem manifeſtam, aſthma moleſtiſſimum, & abdomen à flatuum aquarumque copia expanſum in illo, ſicuti in prænominata Domina *Abbatiſſa*, attonitus quaſi obſervaſſem, prædictum Dominum Canonicum officiosè rogavi, ut Vir celeberrimus, *Dn. Johannes Jacobus Wepferus*, illuſtri Familiæ DOMINORUM DE SCHOENAV diu cognitus & acceptus, propter ancipitem morbi eventum ſimul ad conſultationem vocaretur, qui ex ingenita ſua humanitate & morum gravitate ſtatim conſenſit, mihique in mandatis dedit, ut de periculoſo Ægroti ſtatu præfatum Dn. D. *Wepferum* literis certiorem redderem, ad quas Excellentiſſimus iſte Medicus ſequenti pereruditâ epiſtolâ prælo lectuque digniſſima mihi reſpondit.

Salve plurimum Cl. Domine.

GEneroſi Domini DE SCHOENAV affectus nuper ſuperficiariè delineatus fuit, & ceu ex ſola urina hariolandus propoſitus: advocabat quidem, verùm neceſſariò ad Illuſtriſſimos Dominos *Comites Furſtenbergicos* abeundum fuit, & demum heri domum redii. Nunc aliâ facie icterus à te V.E. ſpectandus exhibetur, quorſum quoque exc. D.D. *Benzii* literæ collimant. Quoniam excrementa ſubflava egeruntur beneficio decocti laxantis, nec illa cinericia apparent, ductum bilarium, ubi duodeno inſeritur, non oppilatum opinor: nec collum veſiculæ biliariæ obturatum exiſtimo, quia

de cardialgia ſeu dolore tenſivo, qui aſſe tegeretur, juxta cartilaginem enſiformem, altum eſt in ambabus literis ſilentium: potius crediderim, aliquot pori biliarii ramos per univerſum hepar diſperſos obſtructos eſſe, plurimi enim ſunt, & tot quot portæ rami, ut Cl. D. *Gliſſonius* in libro de *anatomia epatis* primùm orbi indicavit & creberrimè vidit: aliquot ramis obſtructis ſanguis bile infici & nihilominus aliqua ejus portio ad inteſtina transferri poteſt, maximè ſi à medicamento irritentur: quia autem urina adeò ex atro flaveſcens eſt, & admodum fæculenta exiſtit, facieſque intensè flava, ut adſtantes icterum nigrum ſuſpicati ſint, vereor præter nudam obſtructionem, deteriorem labem, non ſolùm in hepate, ſed & in meſenterio latere, quam innuunt totius epigaſtrii & ventriculi inflatio, imò totius abdominis tenſio, & amplius urinæ paucitas, fortè neutiquam potui quantitate reſpondens. Scirrhoſi quidpiam extimeſco; victus ratio prægreſſa id confirmare videtur: ut pridem audivi, generoſus Dn. Æger potavit, nec vini ſiccandi vim cibo pari proportione reſpondente mitigavit, inprimis poſtquam animus tantum non mœrore poſt obitum dilectiſſimæ Dominæ Uxoris conficiebatur: quantopere enim talis vini abuſus glandulas meſenterii & hepar (quod ipſum corpus eſt ex multis glandulis conglomeratum, ut nunc mecum *Malpighius* de *ſtruct. viſc.* contra *J. H. Pauli* fatetur) exſiccet & induret, frequentia hydropicorum funera his erroribus accerſita teſtantur, prout non ſemel ſectione comperii. Inſuper mihi ardor tenuium inteſtinorum ſuſpectus eſt; non puto illum

lum à bile inteſtinorum cavum ſublinente, ſed foris incumbente, ac cum ſanguine in vaſis meſentericis ſtagnante, & vaſa quaſi varicoſa reddente oriri, nam ſi intus bilis hæreret, diarrhœã non ſine torminibus efficeret: non ſemel comperi in ictero diuturno & pertinaci, vaſorum iſtorum oſcula in cavum inteſtinorum hiaſſe, & poſt ingentem hæmorrhagiam ægros enecaſſe, cruore vel mero vel inſtar picis nigerrimæ copioſiſſimè profuſo. Chyloſin non ritè fieri inflationes ventriculi & inteſtinorum indigitant; his enim ſedibus adhuc incluſos credam, necdum cava abdominis occupaſſe. Indicationes igitur erunt, obſtructa in hepate & meſenterio reſeranda, æſtuantia attemperanda, indurata & exſiccata emollienda, bilẽ ad legitimum excretionis locum blandè invitandam, & chyloſin juvandam eſſe. An verò omnibus his indicationibus cum valetudinis emolumento ſatisfieri poſſit apud Generoſum Dominum, non pauca ſunt, quæ me dubium reddunt, cùm non pauca ſint, quæ hydropem imminentem minitentur; ut alia taceam, dyſpnœam ſcilicet illam mihi ſemper ſuſpectam. Non tamen omnem ſpem abjiciendam arbitror, cùm Generoſus Dominus nondum ſit provectæ ætatis, præceptis medicis obtemperet, morbusque nondum inveteratus ſit. Aliquo modo his indicationibus ſatisfacere annixus ſum nuper transmiſſis. Potus ille laxativus ſimilis ferè illi eſt, quem E. V. proponit in *River. contr. lib. XI. cap. IV.* niſi quòd temperatior ſit, nam addidi radicem ſcorzoneræ, cichorii, herbam fragariæ, capillorum ♀, agrimoniæ, flores cordiales, inſuper tamarindos,

rindos, passulas majores, sal fraxini & tamarisci. Pulvis similis ferè illi, quem tradit *cap. III.* est enim ex pulvere stomachico *Birckmanni*, cachectico *Quercetani*, speciebus diarrhodon abbatis & tartaro vitriolato compositus, addidi aliquid lumbricorum terrestrium peculiariter præparatorum, quos in glandularum obstructionibus peculiari virtute præditos comperio: si fortè nimium siccaret, id vitii emendaret jusculum petroselino alteratum, vel potius decoctum vestrum ex radice acetosæ, fragariæ, liquiritiæ rasæ, C. C. usto paratum, aut emulsio amygdalarum & seminum qratuor frigidorum majorum. Liquor transmissus est elixir vitriolatum *Mynsichti*, quod propter appetitum tantopere prostratum suasi, nec E. V. improbabis admodum, cum vitriolata *l. c.* commendentur. Pilulæ confectæ sunt ex massa pilularum *Mylleri*, quæ marocostinis similes, sed longè temperatiores, addidi extractum rhabarbari cum aqua cichoreæ paratum ad methodum *Angeli Salæ* pari quantitate: quia verò aliquid de intestinorum ardore jam intelligo, omnia aloetica proscriberem: tutiores sunt potus magistrales laxativi ex radice graminis, acetosæ, herba fragariæ, epaticæ nobilis, agrimoniæ, capillorum ♀, euscutæ, endiviæ, floribus cordialibus, senna, rhabarbaro, agarico, tamarindis, cremore tartari, addito sale genistæ & fraxini. Si Generosus Dominus obambulare valeret, chalybeata prudenter usurpata multum præstant, nec tibi *l. c.* displicere video. Ego tali vino utor ℞. *Limaturæ chalybis* ℥ß. (hæc enim mihi præ croco ♂ placet, cum adustione spiritus penetrantissimus & acidularum mater

mater ferè pereat) *radic. gramin. taraxac. cichor. ā ℥iij. herb. endiv. fragar. capillor. ♀ agrimon. fol. tamaric. flor. geniſt. bugloſſ. ā Pj. ſem. agn. caſt. ʒß. aniſi ʒj. ſpec. diatrionſantal. diarrhod. abbat. ā ʒij. caryoph.* ceu præcipuum ♂. corrigens *ʒiß. ſal. geniſt. fraxin. abſinth. ā ʒj. ſacchar.* ad frangendam ♂ aſperitatem *℥ij. vel ℥iij.* indantur vaſi admodum capaci, ſcilicet duarum vel trium menſurarum, aliàs à ſpiritu ♂. rumperetur: affunde *aquæ cichor. endiv, ā ℔ß. vin. alb. veter.* ℔*ij.* ſtent in digeſt. in loco tepido horis quadraginta, poſtea colentur, de *colatura ℥ij. vel ℥iij.* ſumantur manè, obambulet æger per horas duas, poſtea trageam ex prædictis ſpeciebus paratam uſurpet, tertio quoque die alvus ſubducatur decocto lenitivo: interea diætam accuratè obſervet. Et hæc ſunt, quæ hâc vice mihi ſuccurrebant. Vale.

Scaphuſii raptim die XII. Octobr.
An. cIↃ IↃ C LXIX.

Exc. nominis tui
ſtudioſiſſimus
JOHANNES JACOBUS WEPFERUS.

Eximia hæc remedia à Viro excellentiſſimo ex inſtructis acerrimi ingenii cornucopiis deprompta Generoſus Dominus Æger exactè uſurpavit, ſed cùm diligens illorum per ſeptem ſeptimanas uſus in profligando affectu magnam virtutem non exſere-

exsererét, illustris familia DOMINORUM DE SCHOENAU præsentiam *D. D. Wepferi* rursum omnibus modis sollicitavit, qui die quarto Decembris *Sekingam* adveniens, sequentem perdoctam epistolam mihi transmisit.

Salve plurimum Cl. Domine.

PRæteritâ die Lunæ heic appuli, Generosum Dominum planè asciticum inveni, nec dum aperto & planè reserato ductu cholidocho, nam icterus cum urina impensè crocea perdurat, quamvis artus, imi ventris inprimis, aquâ suffusi albescere incipiant: manè fæces aliquantulum flavedine tinguntur, post prandium & cœnam liquidas exonerat, videntur chylo dilui; nam albicantes potiùs quam cinereæ apparent, adeò ut tot malis nova calamitas scilicet fluxus cœliacus accedat. Venter supra modum prominet, lumbi, femora, crura œdemate tument, & ad regionem diaphragmatis & renum usque vestigia digitorum impressorum servant. Totū corpus ponderosum & ad incessum admodum grave est. Respiratio anhelosa est, & sæpe admodum laboriosa maximè ab hora sexta vespertina ad duodecimam noctis: nisi decubitus interdiu pumilior concederetur, aquam cavum pectoris etiam subiisse dicerem: appetit mediocriter, non admodum sitit, & consuetæ copiæ haud ægrè multum detrahit: at urinæ excretæ quanti-

tas

tas vix tertiam assumptorum potulentorũ æquat: post mediam noctem dormit, & quamvis dormituriat, respiratio tamen difficilior non indormiscere sinit. Ex his E. V. facilè intelliget, quo in statu valetudo nobilissimi Domini versetur. Aqua lixiviosa in cavo abdominis stagnans protinus evacuanda esset, ne viscera in illo contenta à muria ista elixentur quasi & miserè depraventur. Paracentesis id promptè præstat, ut & scroti incisio aut crurum vel surarum scarificatio, quam quoque *Fr. Sylvius* & *Fienus* maturandam suadent, cùm ferè alia hydragoga & hydrotica frustranea sint: at quis illam in tali κακοσπλαγχνίᾳ auderet? icterus enim pertinacissimus & diuturnus nullique medicamento cedens, hepatis inprimis pessimam dispositionem indigitat, & vita prægressa scilicet largiores compotationes mesenterii glandulas haud obscurè induratas innuunt: ab apertione vel gangræna vel convulsiones extimescendæ, & cita propterea mors timenda foret, quam ut morbus afferat melius est, quàm ut generosum tale remedium profanetur, aut nos occisorum ignominiam subeamus. Cum *D. D. Bentzio* consultum putavi, hydragogis & hydroticis, quantum licet, aquam exturbandam esse, viresque strenuè refocillandas. Fortiora natura jam ferè succumbens non amplius perfert, mitiora elegimus, quæ partitis vicibus propinabuntur. Flatuum non magnam redundantiam animadverto, nam quotidiè alvus aperta est ad minimum ter sua sponte, atque uno alterove flatu eliso moles ventris permanet; eadem gravior & onerosior est, quàm ut flatibus adscribenda sit; abdo-

abdominis enim tumor in tympaniticis, ut Autores monent, ipseque observavi, levior portatu est. Ob fluxum cœliacum & icterum quæ venas lacteas & ductum bilarium referant, non negligenda, ne vires collabantur, & partes nutrimento suo defraudentur, quod fieri pridem occœpit & humerorum macies testatur. Speravi me E. V. heic offensurum, & ipsius præsentiam, cùm ipsi per negocia adesse hâc vice non liceat, aliquandiu præstolatus essem, nisi aliorsum jam avocatus fuissem. Si E. V. alia succurrant, quæ ad Generosi Domini Ægroti salutem spectent, rem præstantissimam nobilissimæ familiæ præstabit, si illa suppeditaverit. His E. V. optimè valeat faveatque.

Sekingæ die IIX. Decembr.
A. CIϽ IϽC LXIX.

E. V.
Cultori addictissimo
JOHANNI JACOBO WEPFERO.

RESPONSUM ad hanc Epistolam.

S. P. Excellentissime & Clarissime Domine.

MAgno sanè cordolio, simulq; justâ animi indignatione correptus fui, quòd nobilissimi Domini

mini Ægri inclyta familia Viri excellentissimi præsentiam mihi non indicaverit; Serenissimus MARCHIO BADENSIS & HOCHBERGENSIS &c. è variolis convalescens facilè veniam mihi concessisset, ut ad Te, Vir excellentissime, singulari meo cum gaudio excurrere potuissem, de Generosi Domini Ægroti ancipite statu desideratam diu consultationem amicè Tecum instituendi. Interim quod per dextræ conjunctionem non licuit, eleganti & pereruditâ epistolâ confecisti, ad quam propter varias occupationes incultis literis respondeo, quas ut in meliorem partem interpreteris, officiosè rogo: notum tibi est illud πολυθρύλλητον.

Diversum sentire duos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitiâ.

Ante omnia non refragor Vir excellentissime, quod in principio epistolæ mones, *ductum cholidochum nec dum planè reseratum esse, nam icterus cum urinâ impensè crocea perdurat.* Adhibui cum *Dn. D. Bentzio* omnia remedia, quorum in priori epistola mentionem fecisti, & artis nostræ Proceres ad obstructos ductus cholidochos referandos felici cum successu etiam usurparunt: sed omnia incassum! urina nunquam immutata, ast semper impensè crocea apparuit. Sic Divinum Numen & Medicis & Ægris ostendit, perpetuæ veritatis esse illud Veterum. E COELO SALUS.

Ni faveat Numen, viresq; infuderit arti,
Aegrum nec Medicus nec Medicina juvat.

Novam calamitatem fluxum nempe *cœliacum accedere*, nullus dubito, pancreas enim venarum lactearum

M &chyli

& chyli receptaculum obstructum esse, cùm primò accederem, statim observavi, mirum igitur non est, chylum ad intestina relabi, & fæces eodem dilutas albicantes apparere. Ante quatuordecim dies hydropicum aperuit Cl. *Dn. Glaserus*, Professor Anatomicus noster, in quo pancreas semiputre observatum fuit. Interim ut simplicem veritatem profitear, verba sequentia epistolæ Tuæ non percipio: *Ventris moles gravior est & onerosior, quàm ut flatibus adscribenda sit, abdominis tumor in tympaniticis, ut Autores monent, ipseq; observavi, levior portatu est.* nescio enim, quem hæc verba tangant. Certè à toto veritatis tramite aberravit delator, qui Viro excellentissimo persuadere voluit, me in generosi Domini Ægri affectibus *SIMPLICEM* vel *SOLUM TYMPANITEM* agnovisse, de hac opinione nec somnians cogitavi, scio tympanitem esse speciem hydropis, sed novi etiam in ægris *SOLUM & SIMPLICEM TYMPANITEM RARISSIME* observari. Constans mea sententia fuit, quam *Dn. D. Bentzio* Medico ordinario, si illius recordari vellet, in superiori ædium conclavi aliquoties candidè indicavi, cùm ictero conjunctum esse ascitem tympaniticum, hanc non muto, nisi à Te, Vir excellentissime, meliora edoctus sim: perplacet enim mihi illud *Solonis*:

γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Semper addiscens senex fio.

Porrò unicum hoc admiror, quòd præsens *magnam flatuum abundantiam non animadverteris* in ægro, cùm tamen ille mihi, quoties accessi, de molesta flatuum

copia

copia conqueſtus fuerit, hinc cùm ſingularem clyſterem flatus diſcutientem ſæpiùs injiciendum præſcripſerim, die nono Octobris *Dn. D. Bentzius* per literas indicavit: *heri denuo clyſterem ordinarium injici curavi, qui effectum ſuum blandè ac egregiè præſtitit, excrementa copiosè educendo, FLATUSQUE INNUMEROS QUASI FORAS EVOCANDO.* Sed annectit, *verùm perſeverat ventris inflatio*, & Tu Vir Clariſſime ſcribis, *uno alterove flatu eliſo moles ventris permanet.* His omnibus ſubſcribo, nec in diverſum abeo: ſed noſti Vir excellentiſſime, quòd ſæpe flatus cum humore aquoſo ſe cavitati abdominis aut tunicis peritonæi inſinuent, qui nullis machinis educi poſſunt, & hæc forſan cauſa eſt, quòd moles corporis ſemper æqualis in ægro appareat. Ante duos annos in Noſocomio noſtro, defunctæ mulieris hydropicæ, cujus venter in vaſtam & oneroſam molem ſemper ſibi ſimilem intumuerat, abdomen aperuit *Dn. Samuel Braunius*, Chirurgus noſodochii exercitatus ordinarius, admoto cultro mox ſe obtulerunt plurimi flatus cum impetu exitum quærentes, poſtea demum aquoſus humor, ſed non in tanta, qualem ſibi adſtantes imaginabantur, copia effluxit. Unde ex prædictis abundè eluceſcit, ſententiam meam, quæ generoſum Dominum ægrum pro aſcitico-tympanitico agnoſcit, adhuc firmo talo inniti. Exempla rara non ſunt, illa apud celeberrimos Scriptores Practicos paſſim occurrunt. *Paracenteſin cum Dn. ægro propter κακοσπλαγχνίαν minimè tentandā eſſe*, iniquus eſſem, ſi contradicerem, etiam calculum meum addo, *quòd icterus pertinaciſſimus & diuturnus nulliq; medicamento cedens*

hepatis inprimis pessimam dispositionem indigitet, & vita prægressa scilicet largæ compotationes mesenterii glandulas induratas haud obscurè innuant. Quòd hactenus paracentesin generosis remediis nondum annumeraverim, rationes urgent, quas *Nicolaus Tulpius*, amplissimus Consul & Medicus *Ambsterodamensis, lib. II. observat. XXXIIX. & XXXIX.* proponit. Hæc sunt Vir excellentissime, quæ ad epistolam Tuam pereruditam ex animi candore respondere necessarium duxi, officiosè rogans Virum clarissimum, ut ea, quâ pollet animi & ingenii integritate ac dexteritate, omnia æqui bonique consulat, ego me inter illos lubens profiteor, qui

— — *funguntur vice cotis acutum*
Reddere quæ ferrum solet, exors ipsa secandi.

Vale Vir magne ad Nestoreos annos feliciter & porro fave

Excellentiæ Tuæ

Cultori officiosissimo

BERNHARDO VERZASCHÆ.

Ad

Ad hasce literas rursum perdoctâ epistolâ respondit celeberrimus Vir, hanc cum responsione mea subjungo, nam utraque huic amicæ disquisitioni, (quam dissector cum superficiaria aperti corporis & partium affectarum descriptione suâ maximam partem excitavit) omni ambitionis turgidæ fastu remoto finem imposuit.

Salve plurimum Cl. Domine.

PRocul dubio Exc. Vir à Cl. *D. D. Bentzio* tristem morbi Generosi Domini DE SCHOENAV eventum pridem intellexit: aperuerunt cadaver, ultra triginta libras aquæ in abdomine continebantur, flatuum nullam mentionem fecerunt, epar scirrosum, flavum, exsangue, vesicula bilaria cum lapillo & bile crassâ ac viscidâ, impleta, qualem quoque celeberr. *Platerus* in ictero pertinaci observavit, pulmones quoque malè dispositi inventi sunt. Quæ cùm ita fuerint, non mirum est, in tantopere depravata viscerum constitutione omnem laborem nostrum irritum fuisse, equidem illam ante abitum meum prævideram; cùm enim post ultimas ad E. V. datas discessurus eram, orthopnœâ gravissimâ Æger obruebatur cum tussi inani, manè syrupum expectorantem paravi, vix tantil-

 loejus

lo ejus deglutito vomica pulmonum rupta fuit, pusque album benè coctum tussi rejecit, quod ad ultimum halitum continuavit. Nova hæc calamitas, quum mihi antehac vomica latens ne in mentem quidem venerit, tum me, tum adstantes admodùm perterruit; ob liberiorem respirationem per vices concessam generosus Dominus æger melius sperare cœpit. Ego verò animum penitus despondebam, cùm quatuor morbos haud obscurè in hoc subjecto observarem, quorum quilibet ad mortem afferendam suffecisset: suspectæ quidem fuerant læsiones etiam à levissimis purgantibus, quæ latentibus abscessibus frequenter accidunt; at de vomica nunquam cogitabam, cum dyspnœa, tussis inanis febrisque lenta aliàs asciticis aut ascitico-tympaniticis salvis pulmonibus plerunque adsint: vomicam hanc folliculo obvallatam ex puris conditione diu intra pulmones latuisse conjeci, quod etiam *Fernelius lib. V. cap. X.* monet, qui latens & abditum vitium nuncupat, exiguum quidem vocat tuberculum; at ego ovi magnitudine & majus quoque ovo *Patavii* vidi. Ad dubia, quæ E. V. in ultimis movet, non necessum est, ut respondeam, cùm illorum decisionem mors fecerit. De paracenthesi tamen non possum non E. V. ansam præbere, ulteriùs in praxi, quam felicissimè & cum laude maxima exercere novi, in illam inquirendi. Vocavi illam remedium generosum, & quidem non immeritò, quæ citò & tutò hydropem ascitem & pectoris quoque maturè & legitimè instituta tollit, non secus ac venæsectio in febribus

bribus

bribus acutis prudenter suscepta, ceu generosum remedium illas aufert; maturè autem facienda est visceribus salvis, & legitimè ad methodum *Sanctorii* & *Sylvii*, nimirum non lancettâ vulnus oblongum faciendo, sed acu argenteâ cavâ perforando in debito loco, nempe tribus vel quatuor digitis transversis sub umbilico & totidem digitis latus versus: *Sanctorius* quoque umbilicum perforat. Hydropis curatio, quæ hydragogis, hydroticis & diureticis fit, nisi protinus cedat, plerunque incurabilis est & ferè Medicorum opprobrium. Expendat Cl. Vir, quæ *Platerus* in curatione hydropis indigitat: agnoscit ille hydropem frequenter oriri à calida & sicca intemperie, nihilominus cùm ad evacuationem seri in cavum abdominis effusi pervenit, invitus medicamenta arripere cogitur, quæ intemperiem hanc augent, ac morbum primarium exasperant, quod ipse excellentissimus *D. Platerus* non diffitetur: hinc Cl. *D. Bruno* in commentariis super *Jessenium* non sine plausibilibus argumentis purgantia in hydrope penitus propemodum rejicit: pluribus rem persequerer, nisi aliàs in literis exarandis occuparer, nam nuperrimè domum redii, unde tardius quoque respondeo. Aliquot cadavera hydropicorum secui, observavi multa hunc morbum illustratura, quæ Deo volente aliquando publici juris faciam, ac ea quæ de paracenthesi digna accuratius expendam: exempla novi felicis & infaustæ paracenthesis, quæ passim occurrunt; infaustus exitus sæpè non immeritò Medico imprudenti, non rarò Ægro vel tergiversanti

vel tardius Medicum vocanti imputatur. Plura non addo. E. V. tum hoc, tum plurimis ſubſequentibus annis feliciter valeat vivatque.

Scaphuſii, properante calamo,
inter negociorum turbas,
die IV. Jan. A. CIↃ IↃC LXX.

E. V.
addictiſſimus
JOHANNES JACOBUS WEPFERUS.

RESPONSIO
ad hanc Epiſtolam.

Certis de cauſis paulò latiùs deducta.

S. P. Excellentiſſime & Clariſſime Domine.

QUòd nobiliſſimus & generoſus Dominus OTTO HENRICUS DE SCHOENAV &c. Ægrotus quondam noſter (cujus animæ æternùm benè ſit!) huic mundo valedixerit, triſte hoc nuncium poſt finitas exequias demum ad aures meas pervenit. Si *D. D. Bentzius*, quod certò certiùs ab ipſo ſperabam, diſceſſum & corporis apertionem ſtatim, uti pollicitus erat, mihi ſigni-

ſignificaſſet, remotis omnibus obſtaculis memetipſum ſtitiſſem: noſti enim Vir excellentiſſime, quòd genuina cauſarum morbificarum & lethalium per anatomiam inveſtigatio laborioſam diligentiam requirat, quæ non tumultuario opere apertum corpus pervagetur. Ante omnia amicè conſentimus, aſcitem mortis cauſam inter alias fuiſſe, hanc quoque Diſſector innuit, nam ex relatione ipſius, ut ſcribis, aperto cadavere *ultra libras triginta aquæ in abdomine continebantur*. Ego ut de flatuum ſic & de magna ſeri abundantia nunquam dubitavi: verè enim Vir ſummus *Thomas Bartholinus centur. IV. epiſtol. medic. LXV.* ad excellentiſſimum *D. Theodorum Schenckium* Profeſſorem Medicum *Jenenſem* ſcripſit, *FLATUS IN ASCITE RARO DESUNT.* Quapropter argumentorum pondera exſpectabam, quibus ſententiam meam examinare digneris, num ictero conjunctus fuerit aſcites tympaniticus? Unicum arietem admoves, ſcribis enim, non neceſſum eſſe, ut mihi reſpondeas, cùm *nullam* obſervatorum *flatuum mentionem fecerit* Diſſector. Credo facilè, quòd de flatibus inventis nihil ad Te ſcripſerit Diſſector, nam de apertione peritonæi & inteſtinorum nec verbulum in Tuis addidit: ἰδοὺ Ῥόδος ἰδοὺ πήδημα. ibi, ibi flatus à Diſſectore quærendi, & procul dubio inventi fuiſſent. Quippe peritonæum duplici membranâ præditum eſſe ſummi Anatomici teſtantur, *Bartholinus* aſſerit, illud ab umbilico ad pubem manifeſtè dividi in duas tunicas adeò diſtantes, ut in earum capaci duplicitate veſica contineatur: intra hanc peritonæi duplicem membranam plurimos flatus ſæpiſ-

M 5 ſimè

ſimè colligi, magno cum damno experiuntur illi, qui rupturis in inguine aut ſcroto obnoxii ſunt: nam à ſolo flatuum impetu inteſtinum aut omentum vel utrumque herniofis aliquoties prolabitur. Quod inteſtinorum conſtitutionem in hydropicis attinet, illa vel ab humoribus ſeroſis aut à flatibus conſtrictis intumeſcere, unanimis Medicorum conſenſus eſt. Interim non refragor Diſſectori, *hepar ſcirrhoſum, flavum, exſangue, & veſicam biliariam cum lapillo impletam bile craſſâ ac viſcidâ inventam fuiſſe*: Similia exempla Viri Præcellentiſſimi *Rhodius*, *Veslingius*, *Schenckius*, *Hildanus*, *Foreſtus* & alii in ictericis ac hydropicis obſervarunt. Porrò etiam hoc miror in Diſſectore, quod de reperta conſtitutione omenti, pancreatis & meſenterii, inprimis autem renum & lienis (utpote de quorum doloribus Dominum Ægrum aliquoties conqueſtum fuiſſe recordor) nullam mentionem fecerit, quis enim dubitat? ex tanta aquarum colluvie unam vel alteram harum partium labem non contraxiſſe, nam experientiâ cognitum eſt, quòd à continuo hujus ſeri affluxu facilè partes iſtæ inficiantur & corrumpantur. hinc Vir excellentiſſime in Tuis prioribus cautè & candidè monebas, *aquam lixivioſam in cavo abdominis ſtagnantem protinus evacuandam eſſe*, *ne viſcera in illo contenta à MURIA ISTA ELIXENTUR ET MISERE DEPRAVENTUR*. De reſtituendo Domino ægroto nunquam grandia pollicitus fui, quum primâ vice illum inviſiſſem, Amicorum intimo, *Dn. Marco Jacobo Beltzio*, Oeconomo *Seckingenſi* meritiſſimo indicavi, Generoſum Dominum Ægrum in ſummo vitæ periculo verſari, & arte medicâ

medicâ ab hoc morbo vix evasurum esse, cujus præsagii veritatem Vir iste integerrimus mihi aliquoties in memoriam revocavit. De hydropicorum paracentesi mentem meam porrò explicandi, occasionem alibi nanciscar. His vale feliciter, Vir excellentissime, ad introitum novi anni: Divinum Numen Tibi plures largiatur, ut Tu artis medicæ primarium decus cum magno languentium emolumento

Iliacos æquare Senes aut vincere possis.

Celeberrimi Nominis Tui

Cultor officiosissimus

BERNHARDUS VERZASCHA.



OBSERVATIO LXXX.

Dysenteria.



INcomparabilis Vir, DN. JOHANNES BUXTORFIUS, S. Theologiæ Doctor, Veteris Testamenti & linguæ Hebraicæ

braicæ Profeſſor magnis in univerſam Eccleſiam Chriſtianam meritis celeberrimus, propter affectionem hypochondriacam, quâ per multos annos diſcruciatus fuerat, ad acidulas *Sulzbacenſes* menſe Junio *A. S.* cIↄ Iↄc LXI. ſe contulit: cùm autem illic loci dyſenteria epidemica graſſaretur, hæc decimo tertio potus acidularum die etiam illum invaſit, quapropter mox omnia ſua compoſuit, ut in rheda vectus domum rediret. Accerſitus veram dyſenteriam in Tanto Viro obſervavi; conqueſtus enim fuit de alvi dejectione frequenti, dolorifica, cruenta & purulenta; inteſtina craſſa fuiſſe affecta inde collegi, nam excrementa, quibus ſanguis & pus commixta non erant, ſtatim poſt ſenſus dolorem cum teneſmo moleſtiſſimo dejecit: febris intenſa, ſingultus & vomitus enormis non adfuere. Animum Eximii Fautoris mei aliàs ex perpeſſis mali hypochondriaci cruciatibus dejectum erexi, candidè monens, illum non in tanto vitæ periculo verſari, quale ſibi imaginetur, nullam febrem intenſam, vel ſingultum periculoſum, aut vomitum enormem urgere, inteſtina tenuia affecta non eſſe, craſſaque exulcerata faciliorem curationem admittere, imò dyſenteriam ſpleneticis ſalutarem cenſeri juxta effatum *Hippocratis ſect. VI. aphoriſm. XXXXIIX.* σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη ἀγαθόν. *Spleneticis dyſenteria ſuperveniens ſalutaris eſt.* quem aphoriſmum, cùm liber *Hippocratis* aphoriſmorum mihi ad manus eſſet, ipſemet legit, & ſubridenti ore reſpondit, Medicorum ſigna indubitatam demonſtrationem non adducere, nec aphoriſmos *Hippocratis* oracula eſſe, eventum morbi

ſui

ſui ancipitem oſtenſurum, an firmo veritatis tibicine aphoriſmus ſuffulciatur. Quapropter priùs invocato per preces publicas Divini Numinis auxilio, ſequentem medendi methodũ, in reſtituenda Summi iſtius Viri proſperâ valetudine obſervavi. Primo die, qui erat tertius Auguſti & morbi quartus, ſequenti potiunculâ uſus fuit. ℞. *rhabarb. elect. pulver.* ʒj. *ſyr. roſ. ſol. ſimplic.* ℥ß. *alth. Fernel.* ʒiij. *aq. plantagin.* ℥ij. *miſce, ſumatur ſtatim.* Pro potu ordinario decoctum cum ſyrupis convenientibus præſcripſi, quod durante morbo libenter bibit. ℞. *radic. tormentill.* ℥ß. *biſtort.* C. C. *uſti ā* ʒij. *cinamom. elect.* ʒj. *coq. in aq. fontan. q. ſ. ad menſuras duas & colentur.* ℞. *ſyr. cydonior.* ℥iiij. *granator. corallor.* ℥j. *miſce, de quo aliquot cochlearia cum cyatho potus ordinarii pleno interdum uſurpentur.* Cùm veſperi excrementa nimium cruenta obſervaſſem, ſequentia remedia præſcripſi. ℞. *radic. biſtort. tormentill. conſolid. major.* ā ℥ß. *herb. ſanicul. pyrol. ophiogloſſ. ſolidag. Sarracen.* ā Mj. *flor. ſambuci, balauſtior.* ā Pj. *ſem. fœnic.* ʒij. *coq. in aq. chalybeata q. ſ. in colat.* ℥x. *ſolve ol. verbaſc. hypericon.* ā ℥ß. *philon. roman.* ʒiß. F. *clyſter.* ℞. *conſerv. roſar. rubrar.* ℥j. *radic. ſymphyt. major. cydonior. cond.* ā ℥ß. *pulv. radic. tormentill. terr. ſigill.* ā ʒß. *ſyr. cydonior. corallor.* ā *q. ſ.* F. *electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucis moſchatæ ſumatur.* ℞. *ol. cydonior. maſtich.* ā ʒiij. *mirtill.* ʒiß. *ol. nuciſt. expreſſ.* ʒj. *unguent. comitiſſ. q. ſ.* F. *linimentum, quo inferior abdominis locus calidè inungatur.* Pro virium robore conſervando ſæpiùs cochlear plenum aquæ noſtræ cardiacæ in *exercitat. de apoplex.* §. *XI.* deſcriptæ ſumpſit, & granum laudani mei opiáti in *River. contract. lib. X. cap. VI.* propoſiti

noctu

noctu ad dolorum mitigationem usurpavit: Quarto Augusti die ad solis ortum redeunti indicavit Æger, se ex usu laudani mei opiati aliquot horas dormivisse, & aliqualem doloris mitigationem percepisse, cùm autem excrementa plurimo adhuc sanguine tincta fuissent, sequentem pulverem præscripsi. ℞. *radic. tormentill.* ℨj. *C. C. philosophic. præpar. corall. rubr. præpar. terr. sigill.* ā ℨß. *cinamom. elect.* ℈j. *sacch. rosat. tabul.* ℥j. *F. pulvis, de quo tribus aut quatuor horis cochlear semi-plenum in decocto ordinario sumatur.* vesperi julepus præscriptus fuit. ℞. *aq. plantag.* ℥iß. *saniculæ* ℥j. *syr. de rosſ. sicc. corallor.* ā ℥ß. *F. julepus horâ decimâ sumendus.* Die quinto, cum de cruenta forti dejectione & molestissimo tenesmo quereretur, clyster injectus fuit. ℞. *rad. consolid. major.* ℥ß. *tormentill.* ℨij. *herb. alchimill. pirol. sanic. veronic.* ā *Mj. flor. verbasc.* Pij. *sem. hyperic. plantag.* ā ℨij. *coq. in aq. chalybeata q. s. in colat.* ℥viij. *solve ol. hypericon. verbasc.* ā ℥j. *philon. roman.* ℨij. *F. clyster.* noctu granum laudani mei opiati rursus sumpsit. Sexto die ex usu laudani tenesmus quidem mitigatus fuit, sed cruenta excreta perseverarunt, hinc julepum pro duabus dosibus præscripsi. ℞. *aq. plantag.* ℥iiij. *saniculæ* ℥iß. *syr. cydonior.* ℥j. *corallorum* ℥ß. *F. julepus, cujus dimidia portio manè, altera vesperi sumatur.* Die septimo conquestus fuit Æger, se totam noctem ex molestissimo tenesmo insomnem transegisse, inspexi excrementa, & cùm maximam partem sanguinolenta apparuissent, pulsumque debilem observassem, clysterem, emulsionem & aquam cardiacam præscripsi. ℞. *radic. consolid. major. tormentill. bistort.* ā ℨiij. *herb. sanicul. pyrol. consolid. sarrac.* ā *Mj. flor. verbasc.* Pij. *sem. lini* ℨß. *plan-*

℥ß. plantag. ʒij. hyosciam. ʒj. coq. in aq. chalybeata q. s. in colatur. ℥viij. solv. ol. verbasc. hypericon. ā ℥ß. rosar. ʒij. lapid. hæmatit. præpar. ʒj. F. clyster. ℞. *C. C. philosoph. præpar. ʒiß. coq. in aq. font. ad mensuram dimidiam, cum colat. sume amygdal. dulc. recent. excorticat. ℥iiij. F. emulsio, cui adde sacch. rosat. tabul. ℥ij. misce, utatur pro beneplacito.* ℞. *aq. cardiac. offic. ℥ij. borrag. flor. tiliæ, ā ℥j. cinam. ʒij. sacch. ros. tab. ʒiß. margarit. præpar. ℈j. F. cardiacum, de quo cochlear plenum pro lubitu sumatur.* noctu granum laudani mei opiati rursus usurpavit. Die octavo meliusculè se habuit, & horâ decimâ nocturnâ sequentem syrupum sumpsit. ℞. *syr. de ros. sicc. corallor. papav. simplic. ā ʒiij. aq. plantag. cinnam. ā ʒij. misce.* Die nono ob metum tenesmi granum laudani mei opiati noctu usurpavit. Die decimo cùm excrementa adhuc sanguinolenta comparuissent, sequentem syrupum noctu sumpsit. ℞. *syr. papav. albi ℥ß. cydonior. corallor. ā ʒij. plantag. ʒiij. misce.* Die undecimo ad tormina ventris mitiganda & somnum conciliandum rursus granum laudani mei opiati noctu usurpavit. Die duodecimo tenesmum & copiam flatuum accusavit, hinc clysterem convenientem præscripsi. ℞. *rad. alth. ℥ß. herb. sanicul. betonic. veronic. plantag. ā Mj. flor. verbasc. melilot. ā Pj. sem. lini ℥ß. carui ʒij. coq. in aq. font. q. s. in colatur. ℥viij. solve mell. anthos. ℥j. ol. verbasc. hyperic. anethin. ā ℥ß. F. clister.* Die decimo tertio benè se habuit. Die decimo quarto propter metum tenesmi & vigiliarum laudani mei opiati granum noctu usurpavit. Die decimo quinto cuncta symptomata remiserunt, & decimo sexto dysenteria omnimodè cessavit. Sic DEUS OPT. MAX. ex paterna

& in-

& infinita sua clementia venerandum hoc cœli depositum universo orbi Christiano redonavit.



OBSERVATIO LXXXI.

Iliaca paßio à ruptura.

Vir sexagenario major per multos annos rupturam in inguine dextro patiebatur, unde ad prolapsum intestinorum præcavendum convenienti subligaculo usus fuit, cùm autem illud noctu ex incuria relaxaretur, magna intestini portio in inguen & scrotum prolapsa erat. Manè vocatus in illo principaliora iliacæ passionis symptomata observavi, quæ *Hippocrates lib. III. epidem. sect. II. ægroto IX.* in muliere iliaca proponit. τὸ ποτὸν κατέχειν οὐκ ἠδύνατο· ἔμετοι πολλοί· πόνοι περὶ ὑποχόνδρια· καὶ ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην πόνοι· στρόφοι ξυνεχέες· ἀσώδης, ἄγρυπνος· οὖρα ὀλίγα λεπτά. *potum continere non poterat. vomitus multi. dolores circa præcordia. & in infernis partibus juxta ventrem dolores. tormina continua. anxia, insomnis. urinæ paucæ, tenues.* Hisce accedebat calamitas fundi: nam per tres dies nulla alvi excrementa reddidit, nec ullum flatum, cùm tamen flatulentæ passioni hypochondriacæ obnoxius esset, per inferiora reddere potuit. Quapropter ad expultricem intestinorum irritandam mox acriori suppositorio usus fuit. ℞. *spec. hier. picr. Galeni* ℈ij. *trochisc. alhandal.* ℈j. *diagrid.* ℈ß. *mell. q.s. F. suppositorium:* quod sine fructu post horam secessit, unde statim sequens clyster injectus fuit. ℞. *rad. lil. albor.* ℥j. *bryoniæ* ℥ß.

herb.

herb. betonic. veronic. parietar. malv. ā Mj. flor. chamam. Pj. sem. lini ℥ß. carui ʒij. coq. in aq. font. q. ſ. in colatur. ℥x. ſolve mell. roriſmar. ℥iij. ol. aneth. ℥j. elect. hier. picr. Logad. ℥ß. F. clyſter, qui excrementa pauca eduxit. Secundo die, cùm flatus in prolapſo inteſtino omnibus modis exitum quærerent, clyſterem carminativum præſcripſi. *℞. radic. calam. ℥j. alth. ℥ß. herb. menth. meliſſ. ā Mij. flor. chamam. Pij. ſem. aniſi, car. ā ʒij. coq. in aq. font. q. ſ. in colat. ℥viij. ſolv. mell. anthoſ. ℥iij. ol. aneth. chamam. ʒiß. F. clyſter.* veſperi balneum humectans, emolliens, flatus & dolorem diſcutiens paratum fuit. *℞. rad. alth. lil. albor. ā ℥iij. herb. 4. emollient. ā Miij. betonic. meliſſ. menth. ā Mij. flor. chamam. melilot. ſambuc. ā Mj. ſemin. lin. ℥iiij. inciſa dentur ad chartam pro balneo.* Vomitus enormes balſamum ſtomachale compeſcuit. *℞. ol. nuciſtæ expreſſ. ʒiß. balſam. perruv. loq. ʒj. ol. ſtill. arantior. ℈j. carui ℈ß. F. s. a. balſamum, quo ſcrobiculus cordis dictus inungatur.* Viribus aquâ cardiacâ noſtrâ proſpectum fuit. Tertio die quum ex præcedenti clyſtere flatus exitum quæſiviſſent, ille manè & veſperi cum levamine repetitus, ſimulque ſequens linimentum flatus diſcutiens præſcriptum fuit. *℞. ol. chamam. aneth. violar. ā ʒij. ſtillat. carui ℈j. abſinth. ℈ß. unguent. reſumpt. q. ſ. F. linimentum calidè uſurpandum.* Quarto die propter alvi adſtrictionem ſequens clyſter injectus fuit. *℞. rad. bryon. ℥j. herb. malv. parietar. betonic. ā Mj. flor. ſambuc. Pj. ſemin. lini ℥ß. coq. in aq. fontan. q. ſ. in colat. ℥viij. ſolv. mell. anthoſ. ℥ij. elect. lenitivi ℥j. hier. picr. Log. ℥ß. F. clyſter:* qui rurſus excrementa pauca expulit. Veſperi flatibus quâ datâ portâ exitum quærentibus ſequentem clyſtererem injicere juſſi. *℞. rad.*

alth. ℥j. *herb. menth. meliss. carduibened.* ā *Mj. absinth. M*ß. *flor. chamam. Pj. sem. carui* ʒij. *coq. in aq. font. q. s. in colatur.* ℥viij. *solv. mell. rorismar.* ℥ij. *ol. chamam.* ℥j. *menth.* ℥ß. *ruta* ʒij. *F. clyster.* Quinto die portio intestini prolapsi in inguine regressum quæsivit, unde duo sacculi lacte incocti & expressi alternatim admoti fuerunt. ℞. *rad. alth.* ℥ij. *herb. parietar. malv. beton. meliss.* ā *Mij. flor. chamam. melil. aneth.* ā *Pij. semin. lini* ℥j. *carui* ℥ß. *baccar. junip.* ʒij. *incisa dentur ad chartam pro duobus sacculis.* Sexto die propter alvum suppressam & flatus constrictos clyster laxans & carminativus injectus nec non balneum repetitum fuit. ℞. *rad. alth.* ℥j. *lil. albor. bryon.* ā ℥ß. *herb. malv. parietar. meliss. menth.* ā *Mj. flor. sambuc. Pj. sem. lini* ℥ß. *carui* ʒij. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥viij. *solv. mell. rorismar.* ℥ij. *elect. diacatholic.* ℥iß. *ol. chamam.* ℥j. *terebinth. opt. cum vitel. ovi solut.* ʒij. *F. clyster:* qui fæces induratas & magnam flatuum copiam eduxit: ad vesperam intestino retrogredienti sequens cataplasma admotum fuit. ℞. *farin. rad. alth.* ℥iß. *semin. lini* ℥ß. *fœnigr.* ʒij. *pulv. flor. chamam.* ʒj. *semin. fœnic. anisi* ā ʒß. *coq. in lacte ad formam cataplasmatis, sub finem adde olei chamam. aneth.* ā ℥j *stillat. carui* ℈ij. *F. cataplasma, quod calidè aliquoties admoveatur.* Septimo & octavo die clyster prædictus laxans & carminativus tanto cum levamine repetitus & injectus fuit, ut die nono ipsemet Æger sine ulla vi intestinum prolapsum reposuerit, quod aliqui præstantes Chirurgi adhibitâ omni diligentiâ præstare non potuerunt.

OBSER-



OBSERVATIO LXXXII.

Abortus.

NObilissima Domina MARIA REGINA DE SCHOENAV, Generosissimi Domini JOHANNIS THEODORICI DE SCHOENAV, SACRÆ MAIESTATIS IMPERATORIÆ &c. &c. Consiliari meritorum gloriâ splendidissimi Uxor, Generis & Sexus sui præclarum decus, acerbissimo illustris Familiæ cum luctu tres abortus passa fuit: ut dilectissimam Uxorem, animæ delicium suæ, à calamitoso hoc malo liberaret Dominus Maritus, Medicos clarissimos in consilium vocavit. Cùm fortè fortunâ apud diversos ægros *Rheinfeldæ* commorarer, nobilissima ista Domina venerandam Dominam Matrem, MARIAM EPHROSINAM DE SCHOENAV, Matronam omni virtutum splendore coruscam, *ibidem* degentem invisit, datâ hâc occasione me accersivit, & unà cum Matre quàm humaniter rogavit, ut de funesta hac calamitate illis mentem meam candidè explicarem. Posteaquam in examine habito illa mihi retulisset, tres istos abortus copiosam uteri hæmorrhagiam per quinque dies antecessisse, quam nullis remediis inhibendam sine virium jactura toleraverit, inde collegi, sanguinem nimiâ copiâ turgidum in utero fœtus obruisse, illosque vasis umbilicalibus disruptis foras propulsisse.

Cùm igitur in præcellenti iſta Domina, ab octo ſeptimanis gravida, habitum corporis carnoſum, colorem faciei floridum, functiones robuſtas, reliquaque inſignioris plethoræ indicia obſervaſſem, intrepidè illam adhortatus ſum, ut ſingulis menſibus venam in alterutro brachio, vel in manu ſalvatellam uſque ad ultimum geſtationis menſem aperiret, & quinque uncias ſanguinis circiter educi permitteret, ſimulque ad fœtum roborandum & hæmorrhagiam uteri inhibendam ſequentes morſellos & trageam uſurparet. ℞. *amygdalar. dulc. recent. excortic.* ℥j. *cort. citri cond. conſerv. roſar. rubr. borragin. confect. alkerm. incompl.* ā ℥ij. *nuc. indic. cond.* ʒiij. *corall. rubr. præparat.* ʒj. *ſpec. diatrionſant.* ℈ij. *radic. tormentill. margarit. præparat.* ā ʒß. *ſacch. opt. aq. borragin. ſolut.* ℥vj. *F. s. a. morſelli.* ℞. *ſpec. diatrionſantal.* ʒij. *diamargar. frig. corall. rubr. præpar.* ā ʒj. *radic. tormentill.* ʒß. *oſſ. de cord. cervi* ℈j. *cinnam. elect. nuc. moſch. caryophyll.* ā ℈ß. *ſacch. opt.* ℥vj. *F. s. a. tragea.* A repetitis iſtis venæſectionibus & diligenti horum remediorum uſu filium elegantem adhuc ſuperſtitem, nobiliſſima iſta Domina inexplicabili cum Familiæ gaudio in lucem protulit. Simile exemplum *Lazarus Riverius lib. XV. medic. practic. cap. XVI. & centur. I. obſervation. medic. XLV.* proponit. Fœmina *Monſpelienſis* vario geſtationis tempore tres abortus paſſa eſt, dum quarto gravida foret, circa finem menſis ſecundi correpta fuit iiſdem ventris & lumborum doloribus, qui aliorum abortuum prodromi eſſe conſueverunt: ad eam vocatus & mulierem plethoricam advertens ſtatim ad uncias quatuor ſanguinem eduxi, tunc intra dimidiam horam dolo-

res

res omninò remiſerunt, iſta autem ſymptomata tempore menſtruorum debito apparebant: tertio menſe eadem ſymptomata redeunt, ægra rogat, ut rurſus venæſectio inſtituatur, cùm ex illa præterito menſe præſentaneum levamen percepiſſet, annui: hinc etiam quarto, quinto, ſexto, ſeptimo & octavo menſe recurrentibus iiſdem ſymptomatibus phlebotomia repetita, & circa finem noni menſis fœmina iſta filium benè valentem enixa fuit: Nolo tamen ut hiſce exemplis perſuaſus junior Medicus audacior fiat in ſanguine gravidis mittendo, ſed illum oportet, priùs morborum decurſus & mulierum habitus diligenter examinare, hinc ubi manifeſtas phlebotomiæ indicationes animadvertit, adſtantes præmoneat, majus ex morbi ſævitia quàm apertione venæ periculum imminere, & tunc ſanguinem parcè educat: ſi plethora largam ſanguinis detractionem poſtulet, illa diſtinctis vicibus inſtituenda erit. Palmarium argumentum, quod nonnulli contra venæſectiones gravidarum objiciunt, ex *Hippocratis ſect. V. aphor.* XXXI. deſumitur γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, εἰ μεῖζον εἴη τὸ ἔμβρυον. *mulier uterum gerens ſectâ venâ abortit, & magis ſi major fuerit fœtus.* Sed illis reſpondeo, aphoriſmum hunc eſſe explicandum de largiſſima Antiquorum ſanguinis miſſione, quæ mulieribus gravidis non ſaltem abortum ſed etiam mortem inducere poſſet, nam Veteres non unciarum pro more ſeculi noſtri, ſed librarum pondere ſanguinem in phlebotomiis eduxerant: protuli ſuprà *obſervat.* XII. exemplum Oeconomi, cui ipſemet *Galenus* horâ quintâ tres libras ſanguinis, &

horâ nonâ rursus unam libram eduxit: quibusdam sex libras sanguinis unâ vice detractas fuisse testatur idem *Galenus* in libro *de curandi ratione per sanguin. mission. cap. XIII.* mirum igitur non est, quòd largas istas venæsectiones vel mors cita aut lenta aliquoties subsequuta fuerit, uti hoc *lib. IX. method. medend. cap. X.* ore rotundo confitetur. Δύο ἀνθρώπους ἀπολλυμένους εἶδον ἐν αὐταῖς τῶν ἰατρῶν ταῖς χερσί, λειποθυμήσαντας μὲν ἀνακομισθέντας δ' οὐκέτι· πολλοὶ δὲ εἰ καὶ μὴ παραχρῆμα διεφθάρησαν ἀλλ' ἐξ ὑστέρου γε διὰ τὸν τῆς δυνάμεως κάματον· οὓς εἴ τις ἐκένωσεν ἄνευ τοῦ καταλῦσαι τὴν δύναμιν, οὐκ ἂν ἀπώλοντο· καὶ μέν γε καὶ εἰς νόσον ἔνιοι μακρὰν ἐξέπεσον, ἐπὶ κενώσεσιν ἀμέτροις ἐκλυθείσης τῆς δυνάμεως· ἄλλοι δ' εἰς τὸν ἐφεξῆς βίον ἅπαντα, τὴν κρᾶσιν ὅλην τοῦ σώματος ἔσχον ψυχροτέραν, οὐ δυνηθέντες οὐκέτ' ἀνακαλέσασθαι τὴν ἐκ τῆς ἀμέτρου κενώσεως βλάβην· ἐξ ἧς ψυχρότητος οἱ μὲν ἄχροοί τε καὶ καχέκται καὶ ῥᾳδίως ἐπὶ παντὶ βλαπτόμενοι διετέλεσαν· ἄλλοι δ' ἐξ αὐτοῦ τούτου νοσήμασιν ἑάλωσαν ὀλεθρίοις, ὑδέροις καὶ ὀρθοπνοίαις καὶ ἥπατος ἀτονίαις καὶ γαστρὸς, ἀποπληξίαις τε καὶ παραπληξίαις. à copiosa sanguinis missione *duos in ipsis Medicorum manibus perire vidi, qui postquam animo linquerentur, nunquam revixerunt: multi verò etsi non protinus at postea propter virtutis infirmitatem perierunt, quos si quis citra ejus resolutionem vacuasset, minimè periissent: quin etiam aliqui in morbos longos inciderunt; postquam immodicâ inanitione resoluta naturalis vis fuit: aliis cùm immodicæ vacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum frigidius redditum est: ex qua refrigeratione facilè ex quavis occasione læsi alii decolorati ac malo corporis habitu vixerunt, alii ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam intercutem, orthopnæam, hepatis ac ventriculi imbecillitatem, apoplexiam & paraplexiam.* Certè nisi de largioribus istis Veterum plebotomiis interpretemur aphorismũ *Hippocratis*, tenui tibicine fultus erit; etenim pleni sunt innumeris observationibus libri Recentiorum Medico-

dicorum, qui attestantur, quòd venæsectiones parcâ manu administratæ, gravidas mulieres inprimis plethoricas, morbis acutis phrenitide, pleuritide, angina, febribusque continuis & malignis correptas ab imminente mortis periculo liberarint.



OBSERVATIO LXXXIII.

Visus imbecillitas.

PRæfecti *Bernensis* Uxor triginta annorum *Basileam* venit, & de visus imbecillitate mihi conquesta fuit, nam objecta sive proxima sive remota rectè cognoscere non potuit propter nubeculam, quàm oculis obversari & visionem obtenebrare asseruit: cùm in pupilla nullus defectus appareret, eademque visus imbecillitas nunc incrementum, mox decrementum sumeret, ab humoribus serosis & vaporibus in cerebro naturâ frigido circa regionem nervorum opticorum collectis malum hoc oriri, nullus dubitavi. Primâ die sequens infusio purgans præscripta fuit. ℞. *folior. senn. elect.* ℥iij. *sem. fœnic.* ʒj. *cremor. tartar.* ℈ij. *sem. coriandr. præpar.* ℈j. *pæon. excort.* ℈ß. *aq. betonic. euphras. ãq. s. infund. per noct. mane bulliant par. in colat.* ℥iij. *solve elect. de succo rosar.* ʒj. *aq. cinnam.* ʒij. *F. potio purgans manè cum regimine diætæ sumenda.* Tertio die ad humores peccantes successivè educendos sequentem sacculum purgantem præscripsi. ℞. *rad. fœnic.* ʒiij. *valerian.* ʒij. *cort. arantior.* ʒj. *herb. euphras. betonic. ã Mj.*

 flor.

flor. rorisinar. Pj. folior. fenn. elect. ℥ij. *sem. fœnic.* ʒij. *coriandr. præpar.* ʒj. *cinnam, macis*, ā ʒß. *incisa & contusa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui vini alb. veter.* ℔iij. *& aq. euphras.* ℔j. *affundantur, de quo potu singulis vel alternis diebus* ℥vj. *cum regimine diæta bibantur.* Die octavâ ad revulsionem & derivationem humorum cervici vesicatorium appositum fuit. ℞. *pulv. cantharid.* ℈iiij. *sem. sinap.* ℈ß. *euphorb. gr. viij. ferment. & acet. q. s. F. massa pro vesicatorio.* Vesperi sequentem trageam præscripsi. ℞. *spec. de nuc mosch.* ʒiß. *aromat. caryophyl. dianthos*, ā ʒß. *herb. euphras. cum florib* ʒj. *ol. still. fœnic. gt. vj. nuc. mosch. caryophyll. cinnam.* ā *gt. ij. sacchar. opt.* ℥vj. *F. s. a. tragea consueto modo usurpanda.* Die nono sequentes pilulas consului. ℞. *extr. luc. major.* ℈j. *aurear.* ℈ß. *sine quibus* ℈j. *arabic.* ℈ß. *ol. fœnic. gt. vj. misce diligenter, formentur ex* ℈j. *pilul. XV. deaur, consperg. pulv. cinamom. sumantur quindecim singulis septimanis manè.* Die decimo sequentes morsellos præscripsi. ℞. *herb. euphras. cum florib.* ʒj. *spec. aromat. caryoph.* ʒß. *de nuc. mosch* ʒi. *conserv. rosar. rubr.* ℥ß. *fl. betonic.* ʒij. *cort. citri cond.* ʒiij. *ol. stillat. fœnic. gt. vj. cinam. macis, caryophyll.* ā *gt. ij. facch. opt. aq. euphras. sol.* ℥vj. *F. s. a. morselli pro lubitu usurpandi.* Die undecimo electuarium ad cerebri & visus robur usurpavit. ℞. *conf. euphras.* ℥j. *betonic. major. anth. rorismar.* ā ℥ß. *nuc. indic. condit.* ʒß. *folior. euphras. cum flor.* ℈ij. *spec. de nuc. mosch.* ℈j. *aromat. caryophyll. dianthos*, ā ℈ß. *ol. fœnic. gt. vj. macis, gt. ij. syr. betonic. q. s. F. s. a. electuarium, de quo ad beneplacitum magnitudo nucistæ sumatur.* Die duodecimo sequentem aquam ad visum roborandum præscripsi. ℞. *aq. ophthalmic. nostr.* ℥iij. *epileptic. nostr.* ℥ij. *sacch. opt.* ʒß. *misce, sumatur cochlear plenum pro lubitu.* [Formula

aquæ

aquæ ophthalmicæ ſequens eſt. ℞. *ſpirit. euphraſ.* ℔iiij. *radic. valerian. chelidon. major. fol. verben. roriſmar. omnium recent. nuc. moſch. cinamom. opt.* ā ℥ß. *fol. rutæ recent. ſem. aniſ. fœnic.* ā ʒij. *ſummitat. cum florib. euphraſ. ſelect. recent. quant. infundi poſſunt, infund. per noctem vaſe benè perlut. manè per B. M. leni igne deſtillentur, & aqua ſervetur ad uſum.* Formula aquæ anti-epilepticæ meæ talis eſt. ℞. *radic. pæon.* ℥iiij. *viſc. querm.* ℥j. *flor. pœon.* ℥iiij. *lilior. convall. betonic.* ā ℥ij. *tiliæ,* ℥iß. *roriſmar. rutæ,* ā ℥j. *ſemin. pœon. excort.* ℥iß. *cinamom. opt.* ℥j. *cubebar. caryophyll.* ā ℥ß. *nuciſtæ, macis* ā ʒij. *inciſa infund. in vin. alb. veter.* ℔vj. *aq. ceraſor. nigr. meliſſ. lilior. convall.* ā ℔j. *ſtent per aliquot dies, deinde in B. M. deſtillentur.*] Ex uſu horum remediorum diligenti viſionem perfectam rurſus ſibi acquiſivit, ſicut objecta remota & propinqua perfectè diſcernere potuerit, ad recidivam impediendam ſequentia remedia præſcripſi. ℞. *rad. fœniculi* ℥ij. *valerian.* ℥j. *cort. arantior. citri,* ā ℥ß. *herb. euphraſ.* Miiij. *verben. betonic.* Mij. *meliſſæ, abſinth. roriſmar.* ā Mj. *inciſis & contuſis affund. decem menſur. vini albi veter. de quo cyathum plenum manè & apud prandium pro primo hauſtu evacuet.* ℞. *ſem. coriandr. præpar.* ʒij. *fœnic. aniſi,* ā ʒj. *carui, ſiler. montan.* ā ʒß. *folior. euphraſ. cum florib.* ʒj. *cinamom.* ʒiß. *macis,* ʒß. *caryophyll.* ℈j. *ſachar. opt.* ℥viij. *F. pulvis*: de quo cochlear plenum cum vino albo noctu ante ſomnum ſumatur.



OBSERVATIO LXXXIV.

Crurum imbecillitas, hepatis atonia, febris lenta, virium languor.

SEreniſſimus & Celſiſſimus Princeps FRIDERICVS MARCHIO BADENSIS & HOCHBERGENSIS &c.&c. SACRÆ MAJESTATIS CESAREÆ & ROMANI IMPERII STATVVM SVPREMVS CAMPI MARESCHALLVS Dominus meus clementiſſimus, menſe præteriti anni Julio *Baſileam* venit, ut ſe propter diverſos morborum inſultus, quos Celſitudo ſua patiebatur, curæ meæ committeret. Abſoluto examine in Sereniſſimo Principe, quinquaginta octo annos nato, obſervavi inſignem crurum debilitatem, hepatis atoniam cum manifeſta *αἱματώσεως ſanguificationis* læſione, obeſi aliâs corporis conſumptionem, faciem ſubflavam à priſtino colore roſeo quantum mutatam, fluxum alvi periculoſum, febrem lentam, & univerſalem virium proſternationem. Ut unico remedio (nam multorum medicamentorum apparatum faſtidivit Sereniſſimus Princeps) omnibus ſymptomatibus occurrerem, ſequentem aquam deſtillatam præſcripſi. ℞. *hepar & cor cum menſura ſanguinis cervini, pomor. arantior. recent. IIX. pomor. citri recent. IV. herb. cichor. ſcabioſ. borragin. hepatic. nobil.*

omni

omn. recent. ā *Mj. major. recent. Mß. flor. rosar. rubr. Piiij. pæon. Pij. flor. arantior. recent. Mij. flor. citri recent. Mß. spec. aromat. rosat. diatrionsantal. diambr. diamosch.* ā *ʒj. cinnam. elect. ℥j. caryophyll. ʒij. macis ʒj. incisis & contusis affund. vini albi veter. ℔iiij. aq. fl. tiliæ, betonic. scabios. cichor.* ā *℔j. cerasor. nigr. ℔ß. stent in infus. per aliq. dies, postea s. a. destillentur, priùs nodulo ex ambr. gris. ʒß. mosch. oriental. ℈j. rostro alembici immisso.* Posteaquam Serenissimus Princeps manè & vesperi cochlearia quatuor plena hujus aquæ per duas septimanas usurpasset, præfata symptomata omnia imminuebantur: nam Celsitudo Sua novas in cruribus vires sentiebat, purpureus faciei color redibat, fluxus alvi cessabat, febris lenta decrescebat, & majus in universo corpore robur assurgebat: unde hujus aquæ virtutem maximè commendavit, interque alia mihi retulit, se magno cum valetudinis suæ emolumento experiri, *nonneminem* solo invidiæ fastu hoc remedium exibilasse. Respondi Serenissimo Principi: multorum annorum decursu quæsitam *Viri Clarissimi* in medicina dictaturam & fastosos meis studiis contradicendi impetus diu *ἄσπονδον πόλεμον, implacabilem pugnam,* mihi indixisse; qui tamen ruinosis suis machinamentis nihil aliud hactenus præstiterit, nisi quòd ego animum induxerim, sincerè & constanter

Durare & memet rebus servare secundis.

Interim si propter impetratam dictaturam *Viro clarissimo* Panegyristæ desint,

Intonet ipse sibi solus pæana relictus,
Sic actor celebris plausorq; erit atq; theatrum.

Viri-

Viribus ita recuperatis Serenissimus Princeps aquâ Favarinam sive Piperinam (quæ in theca ampullarum fortiter obturatarum huc apportabatur) è consilio meo bibit, à cujus potu medico crura tantum robur acquisiverunt, ut post quatuordecim dies solus nulli scipioni innixus obambulare & ab Illustrissimo & Excellentissimo COMITE RAYMVNDO DE MONTECVCVLI &c. invitatus, sine molestia *Eslingam* in rheda proficisci potuerit. Cùm autem in itinere *Basileam* Serenissimus Princeps *Scaphusium* transiret, *Dn. D. Wepferum* vocavit, & ab illo petiit, ut de ancipiti valetudinis suæ statu mecum conferret; morem gessit excellentissimus Vir, & morbum Celsitudinis suæ implicatum eruditâ epistolâ, quam heic subjungo, luce præloque dignissimâ enodavit.

Salve plurimum Cl. Domine.

QUòd nuper ad Te V. E. non statim scripserim, in causa fuit repentinus meus & inexspectatus abitus ad Illustrissimum Dominum Comitem *de Fürstenberg*, apud quem diutiùs quoque detinebar, ut scribendi occasio erepta fuerit. Interea diligenter animo volvi Serenissimi Principis morbum, & quomodo ipsi occurrendum sit. Primarius affectus videtur crurum imbecillitas, ob quam nec firmo talo stare nec citra fulturam incedere valet, quin genua labant. Cæteri affectus, de quibus conqueritur, cùm vel ejus causa sint, vel à pari causa pen-

pendeant, in progreſſu literarum memorabuntur. Impotentia hæc, cùm nullum in muſculis, oſſibus vel articulis vitium palpetur aut viſu cognoſcatur, pendebit à ſpirituum animalium defectu aliquo, ob quem non ſufficienter muſculi vegetantur ad corporis molem ſeu ſuſtinendam ſeu promovendam: deficient in muſculis, vel quia illorum influxus per nervos præpeditur, aut quia à fonte per nervos ritè apertos nec ſufficientes nec ſatis vegeti ad muſculos decenti vigore inſtaurandos transmittuntur. Obſtaculum aliquod in nervis ab oſſe ſacro ad crura deſcendentibus hærere fortè inde concludi poſſet, quòd Sereniſſimus Princeps à lumbis ad extremos pedes frigus ſentiat, verùm hoc tanti non erit, vel certè illi ſoli hæc imbecillitas attribui non poterit, cùm ſedens aut decubuus pro lubitu pedes moveat, inſuper exquiſito ſenſu in utroque pede præditus ſit. Igitur ſpiritus animales à cerebro & cerebello non debitâ quantitate ad os ſacrum mittentur, non cerebri aut cerebelli magnâ aliquâ culpâ, cùm abundè adhuc ad partes ſupra cingulum ablegentur, & Sereniſſimus Princeps ſenſibus externis & internis, etiam memoriâ, adhuc valeat, nam totam morbi ſeriem exactè recenſere atque enarrare valuit citra ullam hæſitationem, quòd memoriâ graviùs imminutâ vix licuiſſet: quamvis non prorſus negaverim, labem aliquam à febre continua ei aſperſam fuiſſe, quod aliis quoque evenit, qui tanta ab illa paſſi non ſunt. Verùm defectus iſte à tota maſſa ſanguinea repetendus videtur: nimirum maſſa ſanguinea multam & gravem ſpirituum jacturam paſſa eſt in pri-

primordio harum calamitatum, quo tempore enormiter vomuit, profusissimè venter fluxit, acutè febricitavit, nam deliravit & lingua aridissima fuit: quamvis Serenissimus Princeps febrim malignam fuisse non credat, ego tamen talem fuisse valdè suspicor, quia in castris, ubi viguit, illam contraxit, & licet ædes, ubi ex hac febre decubuerunt, non adierit, vix tamen, dum castra perambulavit, contagium evitare potuit, imò dum fortè illud cum aëre hausit, graviùs in corpus sæviit, quoniam die noctuque in tentorio commorans veneni eventilationem suppressa insensili transpiratione inhibuit: nec postea spiritus instaurati fuerunt, nam vomitus, diarrhœa, in qua fæcibus pinguedo quædam non sine colliquationis indicio innatavit, inappetentia & vini fastidium continuarunt; non ad dierum nec septimanarum sed ad plurium mensium numerum, quæ certè sine magno spirituum dispendio fieri nequeunt: nec adhuc spiritus instauratos esse testantur habitus corporis plurimum imminutus, color faciei à pristino & olim vivace multum abscedens, subflavus scilicet & tenebricosus virium languor, qui nuper *Eslingæ* adeò invaluit, ut vix leipothymiam evitare potuerit. Imò tantum abest, ut spiritus isti vivifici instaurentur apud Serenissimum Principem, ut potiùs quotidiè adhuc pessundentur, nam ex pulsu frequenti & celeri cognovi, illum lentè febricitare, ex recensione solutionis alvi frequentis fluxu cœliaco ægrotare, & ob fastidium vini Serenissimum Principem efficacissima spirituum refocillatione privari. Cùm itaque in sanguine imprimis

πνδμάτωσις desideretur, illi quoque præcipuè succurrendum erit, nisi enim huic ante omnia prospiciamus, non solùm cætera frustranea, verùm etiam diriora timenda erunt, eoque magis quia Serenissimus Princeps frequentiùs quàm unquam tussit,&magnam vim sputi viscidissimi,fortè etiam turbidi, ejicit. Laudabilem sanguinem Serenissimus Princeps consequetur, si chylosis exacta procuretur, ejus anadosis promoveatur, & viæ probè referentur, per quas massa sanguinea depuratur. Ad faciliorem chylosin plurimum faciet selectus ciborum boni succi & facilis digestionis eorumque quantitas ventriculo non onerosa: si nihilominus deprehendatur in fæcibus cibos quosdam coctionē subterfugere, juvari poterit pulvere quodam peptico,ex quorū numero stomachicus *Birckmanni*,omisso acoro nostrate,non ineptus erit, horam ante pastum ad drachmam unam cum pane tosto & vino madido sumptus, aut si omninò adhuc à vino abhorreat, cum pauxillo jusculi gallinacei. Fluxus cœliacus, quia oboritur vel plurimis osculis vasorum lacteorum, ubi in intestina hiant, vel eorum ramo aliquo majore in mesenterio obstructis, compescendus erit neutiquam incrassantibus emplasticis aut adstringentibus, quibus mortem acceleratam novi, sed aperitivis & moderatè detergentibus, quorum beneficio unâ operâ in visceribus viæ reserabuntur, per quas se massa sanguinea depurare solet,atque febris lenta mihi inprimis suspecta simul debellabitur. Quale verò ad hoc opus perficiendum medicamentum seligendum sit, vel propterea hæsito, quoniam à Serenissimo Principe

audivi,

audivi, illum ſtomachum ad medicamenta adeò nauſeabundum habere, ut omnia reſpuat ac gratiſſima quoque in parva doſi data rejiciat: laudatur tinctura tartari & martis, verùm vix has feret aut febricula admittet: de ſyrupis magiſtralibus aut decoctis longis nec verbulum addo, quæ vel ſolo nomine Principi terrifica ſunt: ex innumeris nullum præſtantius & gratius noſſem quàm diaphoreticum martiale, quod inſipidum parvâ quantitate efficaciſſimum eſt, hoc egregiè heic paratur ab Exc. *D. D. Screta*, mihique in familiari uſu eſt non ſine exoptato ſucceſſu, quod eo lubentiùs ſuaderem, quia Sereniſſimo Principi acidulæ eâdem vi pollentes per paucos dies potæ profuerunt, ejus dantur grana octo vel decem cum pauxillo ſyrupi citri aut rubi idæi, vel cum conſerva aliqua ſuavi manè & veſperi horâ quintâ, poſt horam unam vel duas elapſas propinatur hauſtus juſculi gallinacei, endivia, borragine aut acetoſa alterati, non opus eſt, ut ipſi jungantur purgantia aut alia cujuſvis generis medicamenta, ejus uſus ultra mentem continuandus erit: Si Sereniſſimus Princeps hoc rejiceret, dari poſſent acidulæ ad libram unam, cui ſyrupi citri aut rubi idæi vel capillorum ♀ uncia immiſceatur, hâc ratione illuſtriſſimum Dominum Comitem, *Hermannum Egonem de Fürſtenberg*, ſimilibus ſymptomatibus afflictum, *Monachii A. S. M DCLXVII.* valetudini integræ reſtitui, ut brevi omnes artus antiquum robur acquirerent. Thermarum Fabarienſium inſeſſum ob febriculam, fluxum cœliacum & colorem faciei cachecticum vix probare poſſem, pluris facerem illarum potum. Reparata

ſangui-

ſanguinis pneumatoſi, ſi labes ſuperſtes in nervoſo genere agnoſcetur, ſecurius & cum majore fructu antiparalitica & impotentiam eundi profligantia ſuppeditabuntur. Et hæc ſunt, quæ mihi hac vice ſuccurrebant. Vale feliciter, & me Sereniſſimo Principi ac Domino humilimè commenda,

E. T.

Cultor addictiſſimus

Johannes Jacobus Wepferus.



Observatio LXXXV.

Dentitio funeſta.

Sereniſſimi & Celſiſſimi Principis FRIDERICI MAGNI, MARCHIONIS BADENSIS ET HOCHBERGENSIS &c. &c. Domini mei clementiſſimi Filiola, CHRISTINA SOPHIA, tredecim menſes nata, aliquot dies & noctes inquietas tranſigere animadverſa fuit. Vocatus Sereniſſimæ Matri prædixi naturam in lectiſſima Filiola acerbam dentitionem moliri, nam manifeſtè apparuerunt

O inflam-

inflammatio & dolor gingivarum, tumor genarum, æstus & ariditas faucium, tussicula, pavores, vigiliæ & febricula, insuper ægra subinde digitos ori admovit, è quo saliva tenuis sæpè destillavit. Primâ die, cùm alvum per duos dies suppressam fuisse retulerit Ægræ Magistra, suppositorium præscripsi. ℞. *spec. hier. picr. Gal.* ℈ß. *mell. q. s. F. suppositorium:* quod per totum morbi decursum, si alvus singulis diebus non respondebat, ad convulsiones præcavendas repetitum fuit, unde semper materia biliosa copiosè excernebatur, rectè enim *Hippocrates* in *libello de dentitione* monuit. ὁκόσοισιν ἐν ὀδοντοφυΐῃ ἡ κοιλίη κλέιαι ὑπάγῃ, ἧσσον σπῶνται, ἢ ὅισιν ὀλιγάκις: *quibus in dentitione alvus amplius subducit, minus convelluntur, quàm quibus parum.* Sunt Viri præstantes, qui à conspectu excrementorum biliosorum primâ fronte dentitionem dubiosam reddere, & potiùs bilis ebullitionem sive, ut illi loquuntur, *turgescentiam* incusare solent, cùm autem illis solenne sit, clysterem ex lacte vaccino, cui vitellum ovi intermixtum est, infantibus ægris præscribere, color vitellinus excrementis alvinis facilè inducitur, quæ dum adstantes horum ignari & præsertim mulieres credulæ aspiciunt, bilis vitellinæ copiam accusant, & propter morbum triumphatum *Io. paan* acclamant,

— θαρσαλέος ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
ἔργοισιν τελέθει.

Omnibus in rebus præcellit magnanimus Vir.

Pro potu ordinario bibit decoctum cornu cervi, cui syrupus violarum purpurearum sæpè commixtus & gingivæ oleo amygdalarum dulcium recenti

centi illinitæ fuerunt: eâdem die duo grana lapidis bezoardici orientalis, & ſex grana cornu cervi in alembico præparati cum aqua acetoſa uſurpavit. Secundâ die ad inflammationem gingivarum & æſtum faucium mitigandum ſequentibus ſyrupis uſa fuit. ℞. *ſyr. farfar. violar. purpur. granator. ā ℥ß. papav. rhead. pœon. julep. roſ. ā ʒij. aq. ſcabioſ. ℥iij. miſce:* ex horum ſyruporum uſu magnum levamen ægra ſenſit, hinc illos cùm libenter uſurpâſſet, aliquoties repetiti fuerunt. Tertiò die, cùm tuſſis ægram moleſtaret, febricula urgeret, & ob membrorum jactationem convulſiones metuendæ eſſent, conveniens eclegma præſcripſi. ℞. *mann. elect. aq. ſcabioſ. ſolut. & aliquot. dilig. colat. ℥ij. ſyr. roſar. ſol. ſimplic. ℥iij. farfar. ℥ß. ſpec. marchion. ℈j. cornu cervi in alembic. præpar. margarit. præpar. ā ℈ß. ſacchar. roſat. tabul. pulv. q. ſ. F. eclegma molle, de quo pro lubitu cochlear infantile plenum concedatur.* Recordor hâc ipſâ die inter fœmineos aulicis blandimentis aſſuetos ſermones quæſtionem motam fuiſſe, num ægræ Sororem in eadem hypocauſto degentem ad aliud conclave transferre neceſſum ſit? reſpondi, cùm nulla morbillorum & variolarum vel febris malignæ ſymptomata appareant, ægræ translationem neceſſariam non eſſe, quicunque enim dentitionem morbis contagioſis annumerat, ille à nemine, niſi ſit μαργίτης *iners*, ſive βλιθομάμμας *fatuus*, aſſenſum impetrabit. Die quarto uſum elegmatis & ſyruporum ægra continuavit. Die quinto cùm iiſdem remediis pergrexi & pulverem prædictum bezoardicum ægræ conceſſi. Die ſexto ad cerebri & cordis robur, convulſionum præcautionem & virium conſervationem ſequens

aqua præscripta fuit. ℞. *aq. epileptic. nostr.* ℥ij. *cardiac. offic.* ℥iij. *pœn. scabios.* ā ℥ß. *hirundinar.* ℥ij. *sacch. rosat. tab.* ℥iß. *spec. marchion.* ℈j. *misce.* Die septimo ob accensionem febris & prædicta symptomata sequentem julepum præscripsi. ℞. *aq. farfar. pœon. acetos.* ā ℥j. *syrup. violar. purpur.* ʒvj. *papav. rhead.* ʒij. *granator.* ℥ß. *julep. rosat.* ʒij. *misce pro aliquot dosibus.* Die octavâ rursus pulverem bezoardicum concessi. Die nonâ, ob imminentem virium jacturam & jusculorum roborantium fastidium, emulsio præscripta fuit. ℞. *amygdal. dulc. recent. excort.* ʒiij. *sem. melon.* ʒij. *aq. farfar. acetos. pœon.* ā ℥j. *F. emuls. ad sacch. rosat. tab. pulv* ʒij. *margarit. præparat. cornu cervi in alembico præpar.* ā ℈ß. *misce pro aliquot dosibus.* Die decimâ propter vires collapsuras aquam cardiacam præscripsi. ℞. *aq. cardiac. offic. scabios. fl. tiliæ acetos.* ā ℥ß. *sacch. rosat. tab.* ʒij. *margarit. præpar.* ℈j. *cornu cervi philosoph. præpar.* ℈ß. *misce.* Die undecimâ ultimus instabat agon, hinc sub noctem elegantissima ista Filiola mortem vincendo ad æthereas translata sedes cœlesti beatarum animarum choro inserta fuit. Ut causa mortis ad oculum pateret, præsentibus nobilissimis Fœminis & Virginibus, adstantibusque Dominis *Michaele Rispachio* & *Joachimo Geringesio*, Chirurgis exercitatis, os apertum fuit, mox se obtulerunt quatuor dentes, qui durante morbo eruperunt, nec non reliquæ gingivæ solidiores & duriores observatæ sunt. Plura per sectionem inquirere Serenissima Princeps permittere noluit.

Primarius istius formosæ Filiolæ obitus ansam mihi præbuit, sedulò inquirendi, quibus remediis dentitionem infantum difficilem & periculosam præca-

præcavere poſſimus: plurima apud excellentiſſimos Scriptores Practicos obſervatu digna occurrerunt, principaliora in gratiam illorum, quibus iſti Autores non ſunt ad manus, annotare neceſſarium duxi. Celeberrimus *Franciſcus de le Boe Sylvius* in opere erudito *lib. IV. prax. med. tract. I. cap. VII.* commendat butyrum inſulſum ſolum, vel cum melle junctum, ſi ſæpiùs illo gingivæ illinantur, inſuper laudat cremorem lactis & manantem ex inciſa galli criſta ſanguinem gingivis affrictum; porrò ut faciliùs gingivas denſas & craſſas penetrent dentes, ex ebore, cryſtallo, argento jubet parare inſtrumentum inter gingivas collocandum, quod dum infantes mordent, illæ citiùs perforantur. Nobiliſſimus Vir *Baldaſſar Timæus* von Guldenklee/ Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Archiater, *lib. V. caſuum medicinal. X.* ad facilitandam dentitionem periculoſam & mitiganda ſymptomata præſcripſit linimentum gingivis per intervalla africandum: *℞. mell. virgin. butyr. inſulſ. ā ℥ß. pulv. liquirit. raſur. dent. apr. & lupi ā ℈j. F. linimentum.* ad dolorem leniendum & inflammationem inhibendam peculiariter commendavit ſuccum ſempervivi & plantaginis, utque denſitas & craſſities gingivarum magis laxaretur & emolliretur, mucilaginem ſeminis malvæ & altheæ cum vitello ovi ſubactam gingivis repetitim illinendam conſuluit: extra maxillas cataplaſma ex floribus chamæmeli, ſummitatibus anethi, malva & farina hordei applicuit, factâ priùs inunctione ex oleo liliorum alborum & amygdalarum dulcium, cùmque non parum blandimenti adferat gingivarum frictio, juſſit dentem lupinum

 ſæpiùs

ſæpiùs morderet puer, verùm cùm nec ſic quidem dentes prodirent, guttam unam atque alteram ſanguinis ex inciſione criſtæ galli adhuc calentis per vices affricuit, quo factum eſt, ut tandem erumperent inciſorii, quos poſtmodum ex aliquo temporis intervallo & canini tandemque molares ſequuti ſunt. Clariſſimus Vir *Hieronymus Mercurialis lib. II. de morb. puer. cap. XVI.* extollit cerebrum leporinum elixum, ſi illo gingivæ illinantur: conſentiunt Viri experientiſſimi, *Franciſcus Ioel lib. IX. prax. Med. ſect. III. §. XIII. Daniel Sennertus lib. II. medic. practic. part. I. cap XI. Wolfgangus Höferus lib. VII. Hercul. Medic. cap. VI. Franciſcus Ronſſeus in libello de humanæ vitæ primord. cap. XLVII.* omnes ſequuti *Galenum*, qui de cerebro leporino *lib. XI. de ſimplic. medicament. facultatib. cap. VI.* ita diſſerit. ἐγκέφαλον λαγωοῦ παρατριβόμενόν τε καὶ ἐσθιόμενον ἐπὶ τῶν ὀδοντιώντων παίδων ἐμάθομεν ὠφέλιμον ὑπάρχειν, ἡψημένης δηλονότι τῆς κεφαλῆς ὅλης ὥσπερ εἴωθα, οὐ μὴν ἐξαίρετός γε ἡ δύναμις αὐτοῦ ἀλλὰ παραπλησία μέλιτι καὶ βουτύρῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα πρὸς ὀδόντας φυομένων παιδίων ἁρμόττει. *cerebrum leporis attritum & eſum utile eſſe didicimus pueris dentientibus capite videlicet & toto elixo, ut ego facere ſoleo: non tamen eximia vis ejus eſt, ſed ſimilis melli & butyro & aliis, quæ ad dentientes pueros conveniunt.* qualem dentes equini in promovendis infantum dentibus utilitatem afferant, *Serenus Samonicus* ſequentibus verſibus proponit,

Nudum hominem primum mater natura profudit,
Inſuper excruciat, niveis quum dentibus armat,
Colla igitur molli dentes nectentur equini,

Qui

Qui primi fuerint pullo crescente caduci.
Ad promotionem dentium *Johannes Stephanus Strobelbergerus*, in manuductione sua ad curandos pueriles affectus *cap. IX.* lenientia & emollientia commendat, hinc jubet nutricem oleo amygdalarum dulcium, butyro recenti & melle invicem mixto, infantum gingivas illinire, inprimis autem ipsi placet baculus glyzyrrhizæ rasæ & contusæ syrupo convenienti illitus, crebro affrictu gingivis admotus. Si propter gingivarum duritiem dentes erumpere nequeant, suadet expertissimus *Ambrosius Pareus lib. XXIII. chirurg. cap. LXVII.* scalpello gingivas aperire, antequam lethalia signa superveniant, quod remedium exoptato cum successu aliquot suis liberis, præsente *Feureo, Altino, Curtino*, Medicis Regiis & *Guillemeo* Chirurgo applicavit; hinc cùm Duci Nivernensi octimestris puer ex dentitione mortuus esset, causam obitûs cum Medicis ordinariis anxiè inquisivit *Paræus*, nec aliam quàm gingivarum duritiem invenire potuit, nam apertis scalpello gingivis dentes omnes velut in procinctu ad egressum apparuerunt.

Cæterùm prænominatus *Strobelbergerus* dentitionem aliquam notham proponit, quam mulieres vulgato sermone die Beull quasi Beullzähn appellant: sunt autem tumores quidam in gingivarum posteriori parte in acumen protuberantes, unde infantes in lactis tractu aliqualiter impediti suctum (quem Germani schmatzen vocant) sonorum ac sibilantem reddunt: hujus spuriæ dentitionis certior erit Medicus, si infantem ad posticam aurium partem digito compresserit, statim enim ille ob do-

loris magnitudinem ejulabit: hoc malum periculo sæpè non caret, cui profligando inprimis conducit externam aurium regionem præsertim posticam axungiâ leporis frequenter inungere, & gingivas oleo amygdalarum dulcium sæpiùs demulcere.

Tandem in ægrotantum infantum cura hoc attendendum, ut juniores Medici symptomata periculosæ dentitionis propter illius incertum tempus sibi diligenter ob oculos ponant, nec naturæ vim, dum soli bilis orgasmo aut torminibus intestinorum aliisque symptomatibus occurrunt, in dentitione ancipiti molienda floccipendant, quoniam ex illius neglectu funestæ convulsiones facilè subsequuntur. Sed objicitur: Medicum apud ægrotos infantes, qui septimum ætatis mensem nondum egressi sunt, de periculosa dentitione securum esse posse; cùm *Hippocrates* divinus ille Senex, fallere & falli nescius, in libello de *partu septimestri* scripserit, τοῖσιν παιδίοισιν ἑπταμήνοισιν ἐοῦσι καὶ ἄλλα διαφέροντα γίγνονται ἐν τοῖς σώμασι, καὶ οἱ ὀδόντες φαίνεσθαι ἄρχονται ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ. *pueris, ubi septem menses à nativitate impleverunt, tum alia utilia in corporibus fiunt, tum dentes in eo tempore apparere incipiunt.* Respondeo an *Hippocrates* divinus sit ille Senex fallere & falli nescius? judicent illi, qui rationem ab omni præjudicio liberam cum multivaria experientia conjunctam possident, institutum meum non permittit, plurimos locos indicare, in quibus humani aliquid passus est eximius artis medicæ Coryphæus. Cum veritate congruit, sæpiùs post septimum ætatis mensem dentes infantibus erumpere, interim

etiam

etiam citiùs & maturiùs menſe videlicet ætatis tertio, quarto, quinto & ſexto dentes è gingivis prodire, *Johannes Riolanus* Filius, Profeſſor Regius *Pariſienſis*, Anatomicorum Princeps, in *commentar. de oſſibus cap. XI. Gothofredus Mœbius*, Anteceſſor *Jenenſis* & Medicus Electoralis *Brandeburgicus* in *fundament. medicin. phyſiolog. cap. X Gerardus Blaſius* Medicus & Profeſſor *Amſterodamenſis* in *commentar. ad ſyntagma anatomicum Joannis Veslingii cap. XIII. Franciſcus de le Boe Sylvius* Anteceſſor Medicus *Lugduno-Batavus* Primarius *lib. IV. Prax. med. tract. I. cap. VII. Fabricius Hildanus centur. epiſtol. LXIIX.* Teſtes omni exceptione majores & Viri antiquâ fide excellentiſſimi comprobarunt.



OBSERVATIO LXXXVI.

Ambuſtio periculoſa & ſubſequuta dentitio lethalis.

EJuſdem Sereniſſimi Principis Filiola CLAUDIA MAGDALENA ELISABETHA, decem ſeptimanas nata, quum Præfecta lectulum vaſculo æneo circa pedum decubitum calefaceret, ambuſtionem in genu dextro die vigeſima quarta Januarii paſſa fuit: eâdem diræ hujus calamitatis horâ aulam frequentanti occurrit Præfecta *lamentis gemituq; & fœmineo ejulatu* me obſecrans, ut in hoc deplorando & ſibi funeſtiſſimo caſu omni malorum lerna ſuppetias

ferrem. Statim convocavi prænominatos Chirurgos, qui communi consilio linimentum ex oleo rosarum cum aliquot vitellis & albuminibus ovorum ad formam linimenti agitato paratum, cui linteola immergebantur, parti ambustæ applicarunt. Unico hoc remedio omnis dolor & inflammatio sublata fuit. Porrò ad convulsiones ex subitaneo terrore infantibus familiares præcavendas sequens remedium præscripsi. ℞. *aq. fl. til. pœon. scabios. acetos.* ā ℥j. *sacch. rosat. tab.* ʒij. *spec. marchion.* ʒß. *margarit. præpar.* ℈ß. *misce.* de quo sæpè cochlear infantile plenum, nec non in pulticula species marchionis correctæ concessæ fuerunt. [Formula specierum marchionis correctarum sequens est. ℞. *radic. pœon. maris decrescente* ☽ *effossi* ʒß. *visci quern. rasur. eboris, ungul. alcis, cinnabar. nativ. ver. cornu cervi in alembico præpar. fæcul. pœon. semin. pœon. corallor. rubr. præpar.* ā ʒij. *hyacinth. præpar. margarit. præpar.* ā ʒj. *lapid. bezoar. oriental. ver.* ʒß. *folior. aur. num.* XX. *F. pulvis, dosis est scrupulus dimidius ad scrupulos duos.*] remotâ omni inflammatione emplastrum de spermate ranarum admotum, & cicatrix paulatim inducta fuit. Nutrix consternata aliquoties sequentem julepum usurpavit. ℞. *aq. scabios. flor. til. borragin.* ā ℥ij. *syrup. granator. berber.* ā ℥j. *spir. sulphur. gt.* vj. *F. julepus pro duabus dosibus.* Cæterùm contra quascunque combustiones unguentum *Fabricii Hildani* magno cum fructu usurpare soleo, quod in libello *de combustionibus cap. VII.* proponit. ℞. *Butyr. recent. in aq. rosar. lot.* ℥iß. *ol. violar. vitell. ovor. amygdal. dulc.* ā ʒij. *farin. hord.* ʒvj. *croci* ℈j. *mucilag. sem. cydonior.* ℥ß. *ceræ q. s. F. unguentum;*

guentum: hoc emollit, dolorem lenit & paulatim cicatricem inducit.

Abſolutâ feliciter hâc curâ Præfectam monui, ut ad periculoſam & moleſtam dentitionem præcavendam oleo amygdalarum dulcium recenti gingivæ demulcerentur, nec non ad cerebrum & nervoſum genus roborandum ſpecies marchionis correctæ uſurparentur, quæ ſimul reſpirationem facilitent, concoctionem promoveant, flatus diſcutiant & bilis ebullitionem impediant. Cùm ſecundo die Martii moleſta tuſſicula illam affligeret, ſequentia remedia præſcripſi, de quibus alternatim cochlear plenum infantile conceſſum fuit. ℞. *Syr. farfar. pœon.* ā ℥ß. *jujubin.* ʒiij. *granator.* ʒij. *ambr. gris. gr. j. aq. ſcabioſ.* ʒij. *miſce.* ℞. *aq. ſcabioſ. pœon. fl. til.* ā ℥j. *cichor.* ℥ß. *ſacch. roſar. tab.* ʒij. *miſce.* ℞. *mann. Calabr. elect. aq. ſcabioſ. ſolut. & dilig. colat.* ʒij. *ſyr. farfar. pœon.* ā ʒiij. *ſpecier. marchion.* ℈j. *diair. ſimplic.* ℈ß. *ſacch. roſat. tab. q. ſ. F. elegma molle.* Inſuper Sereniſſimam Matrem candidè monui, me omnibus modis vereri, ne tuſſicula iſta periculoſæ dentitionis prodromus ſit, quæ prædictio vana non fuit, nam vigeſimo quinto & ſubſequentibus diebus ejuſdem menſis in illa, pavores, ejulatus, tumorem gingivarum & genarum inflammationem aliquoties animadverti, unde etiam eadem remedia conſului, quorum in præcedenti obſervatione mentionem feci. Decimo tertio morbi die, qui erat Aprilis ſeptimus, ægram convulſiones invaſerunt, mox Sereniſſima Mater exhibuit pulverem ſplendidiſſimæ familiæ *Holſaticæ* gentilitium, cujus eximiâ virtute non ſaltem ſtupendæ convulſiones, ſed & ipſa horrenda epile-

epilepsia in plurimis ad miraculum sublata fuit: sed eheu omnia incassum! nam subsequenti die propter convulsiones diutiùs durantes & nullis remediis cedentes elegans ista Filiola supremum vitæ diem obivit. Cùm inter alia Serenissimæ Principes lectulo moribundę assidentes, & ultimum nunc inter cœlites triumphantis agonem cum lacrymarum torrente adspectantes, quæstionem movissent, quomodo tam atroces & diuturnas convulsiones excitare possit dentitio? Illis respondi, *Thomam Willisium*, acerrimi judicii Anatomicum & Medicum, in *specim. patholog. cerebri cap. IV.* hujus quæstionis enodationem nervosè & eleganter proposuisse. In nobis ipsis experimur, quantus sit cruciatus, qui irritationem circa dentium radices sequitur, revera tantus & tam atrox, ut excitari vix possit atrocior, quippe nervorum quinti paris propago insignis ad cujusque dentis radicem pertingit, quæ cùm à sanguinis aliorumve humorum particulis acrioribus illic congestis vellicatur, corrugatione suâ acerrimum molestiæ sensum sive dolorem infert: hujus nervi vellicatio in pueris dentientibus ideò contingit, quia dentibus crescentibus & adhuc intra gingivas vix dum cavatas inclusis membranæ & fibræ quaquaversus distenduntur, hinc sanguis in circuitu præpeditus tumorem infert, adeoque nervos comprimit, nec non acriores seri particulas iis suffundit, quibus nervi insigniter vellicati corrugationibus & spasmis dolorificis torquentur: Hæc acutissimus *Willisius.* Unde gravibus istis rationibus & experientiâ rerum magistrâ edoctus nunquam dubitavi, hanc quoque Serenissimi Principis Filio-

Filiolam sive ab ὀδαξισμῷ germinatione, aut ex ὀδοντοφυΐα eruptione dentium fato decessisse, quod ad oculum monstrare potuisset culter anatomicus, si Mater Serenissima corpusculi apertionem concedere voluisset.

OBSERVATIO LXXXVII.

Exomphalus.

Viro Clarissimo & Eruditissimo

DN. JOH. MELCHIORI WALTHERO

Medicinæ Doctori & Physico

Tannensi meritissimo

Amico meo colendo

BERNHARDUS VERZASCHA

S. P. D.

Clarissime Domine Doctor,

EX mandato Reverendissimi Domini Ægroti nunc communis nostri Te V. C. de illis certiorem reddo, quæ in præfato Domino heic *Basileæ* juxta artis præscripta observavi: inspecto abdomine umbilicus nucis moschatæ magnitudinem excedens prominuit, tumorem hunc, qui ob tussim excitatam secundùm omnes dimensiones augebatur, supino corpore comprimens animadverti,

madverti, portionem omenti & tenuium intestinorum huc appulsam esse, quippe istis retrusis tumor omnis evanuit, in cujus basi simul foramen inveni, quod minimum digitum adæquavit. Certè consideratis istis signis nequaquam dubitandum est, exomphalum (quem alii rupturam umbilicalem vocant, sed malè, cùm potiùs sit laxatio peritonæi in illo loco, ubi arctè vasa umbilicalia colligare solet) esse hunc morbum, in quo processus peritonæi vasis umbilicalibus olim dicatus juxta omnes dimensiones dilatatur, & foramen per membranam nervosam huic processui à natura concessum ita ampliatur, ut laxior factus omentum & intestina tenuia prolabi sinat. Causæ processum hunc & foramen ampliantes non sunt flatus aut serum extra intestina in cavitate abdominis occlusum, aliàs enim omnes ascitici & tympanitici exomphalum paterentur. Potiùs cum Viris clarissimis affirmandum censeo, processum hunc cum foramine ampliari, quoties intestina flatu distenta ad hunc locum violenter impelluntur, quod in conatibus intensioribus sæpissimè contingit. Sic Fœminæ præsertim pinguiores in laborioso partu facilè exomphalis corripiuntur, uti in duabus mulieribus observavi, rara exempla leges apud *Fabritium Hildanum centur. III. observation. LXIII. & LXIV.* Idem malum accidere potest in violenta redditione fæcum alvi induratarum, & ponderis gravioris gestatione, ab ascensu equorum altiorum & vomitibus enormibus: quippe in istis violentis conatibus diaphragma deorsim adigitur, hinc constrictis undique abdominis musculis intestina tenuia in fascicu-

ſciculum quaſi coguntur, ſicque fortiori impulſu foramen cum peritonæo vel confeſtim vel iteratis vicibus ſenſim dilatatur: ad promptiorem diſtenſionem facit obeſior corporis habitus, unde pinguiores magis quàm macilenti exomphalis obnoxii ſunt, ut in ſimili caſu ante quinque annos ad me ſcripſit celeberrimus Seculi Medicus, *Johannes Jacobus Wepferus.* Ex iſtis omnibus facilè colligis V. C. quænam potior cauſa ad hujus affectus productionem in Reverendiſſimo iſto Domino concurrat, illa nempe, quæ flatibus materiam copioſam ſubminiſtrat, nam totum illius abdomen à flatibus diſtentum & repletum eſſe obſervavi, ad quorum generationem inſerviunt compotationes largiores & convivia lautiora, quæ Reverendiſſimum Dominum ſæpiùs frequentare ipſemet mihi liberè confeſſus eſt. E ſupradictis ſatis ſuperque eluceſcit V. C. noſtrum commune ſtudium huc dirigendum eſſe, ut inteſtina cum omento in umbilicum prolapſa commodè reponantur, & repoſita in naturali ſuo loco conſerventur: reponenda ſunt blandâ manu: in cavitatem abdominis recondita manebunt vel curatione palliativâ, quæ convenienti ſubligaculo abſolvitur, vel vera & ſolida, in qua proceſſus peritonæi laxatus contrahendus, ampliatum foramen coarctandum, & omnes occaſiones, quæ dilatationis anſam præbent, declinandæ ſunt. Sed cùm Reverendiſſimus Dominus ſit ſexagenario major, & multivarios errores in victu commiſerit, foramen ac peritonæi proceſſus ad naturalem ſtatum vix reducetur. Chirurgiâ ſi quid

tentare

tentare liceiet, illa experientiſſimum, ut noſti, Artificem poſcit, qui noſtris

Rara avis in terris nigroq; ſimillima cygno eſt. Sanè patientem morbi tolerantiam periculoſis remediis anteponendam cenſeo, quia tales ægri ad canam ſenectutem ſine manifeſto damno pervenire poſſunt, ſi ſolummodò exomphali incrementum prohibeatur, quod apud Reverendiſſimum Dominum diætâ, medicamentis & ſubligaculo præſtabitur. In diæta cibi flatuum copiam excitantes cane pejus & angue vitandi ſunt, hinc mecum perſuadeas Reverendiſſimo Domino, ut remedia ad flatus diſcutiendos diligenter uſurpet, nam abſque hac ſollicitudine omnis noſter labor fruſtraneus erit, imò ampliorem umbilici diſtenſionem vix præcavebimus; flatuum proventui occurretur ſequentibus tabulis. ℞. *cinnam. elect. ʒiij. caryophyll. ʒj. nuciſtæ ℈ij. zingiber. galang. ā ʒß. piper. rotund. ℈ß. rad. liquir. raſ. ʒij. ſem. aniſ. fœnicul. ā ʒiij. ol. deſtill. cinnam gt. viij. caryophyll. nuciſt. ā gt. iiij. ſacch. opt. aq. meliſſ. & cinnam. ſolut. ℥xiiij. F. s. a. tabulæ ad lubitum uſurpandæ.* Si alvus nimium adſtricta fuerit, commodè & tutò clyſteres injiciuntur, nam illi inteſtinum colon propter valvulam *Riolano* litigioſam rectè vocatam (quod ſuo loco, pace *Viri cujuſdam Clariſſimi*, ſine phaleris & morſu demonſtrabo) tranſcendere nequeunt: aliquas clyſterum formulas adjiciam, quas ad beneplacitum tuum mutare potes. ℞. *rad. alth. ℥j. herb. 4. emollient. ā Mj. flor. aneth. Pj. ſem. lini ℥ß. coq. in aq. font. q. ſ. in colat. ℥x. ſolv. elect. lenitiv. ℥j. mell. violar. ℥iß. ol. chamæm. ℥j. F. clyſter.*

vel

vel ℞. *rad. bryon.* ℥j. *herb. veronic. betonic. ā Mij. flor. chamæm. Pj. sem. carui.* ʒij. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥x. *solv. elect. diacatholic.* ℥j. *mell. anthos.* ℥iß. *ol. aneth.* ℥j. *F. clyster.* vel ℞. *rad. enulæ* ℥j. *herb. meliß. menth. ā Mij, flor. sambuc. Pj. sem. anis.* ʒij. *coq. in aq. fontan. q. s. in col.* ℥x. *solve mell. mercurial.* ℥ij. *ol. violar. rutæ ā* ℥ß. *terebinthin. cum vitell. ovi solut.* ʒiij. *F. clyster.* Si injectio clysterum molesta esse incipiat, passulæ laxativæ *Angeli Salæ* usurpentur, quarum formulam superius *observat. XXIX.* proposui. Vehementiora medicamenta purgantia inprimis vomitoria Reverendissimo Domino maximè nocent, leniora autem præsertim repetitæ infusiones, quæ humores vitiosos blandè educunt, ipsi proficua erunt. ℞. *folior. senn. elect.* ʒiij. *rhabarb. elect.* ʒij. *crem. tartar.* ʒi. *sem. anisi, fœnicul. ā* ʒß. *aq. veronic. betonic. ā. q. s. infund. per noctem, mane bulliant parùm, in colat.* ℥iiij. *sol. syr. flor. persicorum* ℥j. *aq. cinnam.* ʒij. *F. infusio purgans mane cum regimine diætæ usurpanda.* Exomphalo multa fomenta adhibere tutum non est. Parti affectæ solum emplastrum contra rupturam cum convenienti subligaculo applicare soleo, sed illud violenter constrigendum non est, ne enterocele in alterutro inguinum excitetur, intestina enim flatibus turgida facilè processus peritonæi in hisce corporibus laxiores distendunt, ac prolapsui exitum parant. Hæc sunt Vir clarissime, quæ in gratiam Reverendissimi Domini, ut amicæ petitioni illius satisfacerem, Tecum conferre volui. Vale feliciter, & me constanter, quod facis, amare perge. *Basileæ die X. Septembr. Ann.* CIↃ IↃC LXXI.



OBSERVATIO LXXXIIX.

Convulsiones à lochiorum suppreßione.

PUerpera viginti quinque annorum secundo puerperii die convulsionibus correpta fuit. Cum ad illam sub vesperâ vocarer, retulit obstetrix lochiorum fluxum in ægrota omnimodè suppressum esse. Adstantibus indicavi, à lochiis retardatis elevari vapores malignos, qui nervosam cerebri compagem vellicando convulsiones excitent, fluxionem lochiorum omni curâ excitandam esse, quam conveniens clyster promovebit. ℞. *rad. bryon.* ℥j. *aristoloch. long.* ℥ß. *herb. meliß. puleg. artemis* ā *Mj. flor. chamœm. Pj. baccar. laur.* ʒiij. *sem. anisi* ʒij. *coq. in colat.* ℥x. *solve elect. benedict. laxat.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ʒij. *ol. rutæ, chamœm.* ā ℥ß. *sal. gemm.* ʒj. *F. clyster.* Ad inhibendas & præcavendas convulsiones aqua hysterica *Zwelferi* cum mea antiepileptica & species marchionis correctæ usurpatæ fuerunt. [Formula aquæ hujus hystericæ præstantissimæ sequens est. ℞. *rad. pœoniæ debito tempore collectæ & recentis, bryoniæ recentis* ā ℥ij. *Zedoariæ* ℥iß. *allij recent.* ℥j. *herb. artemis. rubr. abrotan. menthæ, aristoloch. rotund. omnium recent.* ā. ℥iß. *baccar. laur.* ℥j. *sem. pœon. carui, cumini,* ā ʒvj. *myrrhæ* ℥iß. *macis* ʒvj. *croci* ʒiij. *camphoræ, opii Thebaic. præpar.* ā. ʒij. *castor. recent.* ʒiß. *incisis & contusis nec non concurbitæ vitreæ immißis superaffundantur aq. meliß. cum vino destill.* ℔ iiij. *spirit. cerasor. nigr.* ℔ ij. *factaq; digestione destillentur ad siccitatem specierum:*

ex spe-

ex ſpeciebus reſiduis beneficio ſpiritus vini repetitis affuſionibus paretur extractum non admodum ſpiſſum, quod aquâ deſtillatâ jungatur, poſtea ubi aliquandiu adhuc conjuncta in digeſtione ſervata fuerint, filtretur eſſentia, uſuique aſſervetur. Si cui libuerit aquam & extractum ſingula ſcilicet ſeorſim aſſervare, nec prius, quam ubi neceſſitas poſtulat, ipſa conjungere vel conjunctim propinare, is malè non fecerit, quod & ego facere ſoleo.] Secundo die unguentum & ſacculi hypogaſtrio admoti ſunt. *℞. ol. cheirin. chamæm. lil. albor. ā ℥ij. ſtillat. puleg. ℈j. ſabinæ ℈ß. unguent. reſumptiv. q. ſ. F. linimentum tepidè uſurpandum.* *℞. rad. bryon. ℥iß. ariſtoloch. ℥j. herb. artemiſ. pulegii, meliſſ. ā Mij. flor. ſambuc. chamæm. ā Pij. ſemin. lin. ℥j. baccar. junip. ℥ß. inciſa dentur ad ſacculos duos quadratos in vino albo coquendos & hypogaſtrio tepidè admovendos.* Tertio die pulverem anti-epilepticum cum remediis lochia pellentibus mixtum præſcripſi. *℞. ſpec. marchion. correct. ℈ij. fæcul. bryon. pæon. ā ℈j. trochiſc. de myrrh. ʒß. F pulvis in ſex doſes æquales dividendus & in aqua prædicta anti-hyſterico-epileptica ſumendus.* Veſperi rurſum clyſter injectus fuit. *℞. radic. lilior. albor. ℥j. angelic. ℥ß. herb. 4. emollient. rutæ, centaur. minor. ā Mj. flor. cheirin. ſambuc. ā Pij. ſem. lini ℥ß. coq. in colat. ℥x. ſolve mell. roriſmar. ℥ij. ol. aneth. ℥i. elect. hier. picr. Gal. ʒvj. terebinth. cum vitell. ovi ſol. ʒiij. F. clyſter.* Die quarto electuarium ad cerebri & nervoſi generis robur ac lochiorum fluxum promovendum conſului. *℞. conſerv. fl. betonic. ℥j. major. lilior. convall. meliſſ. ā ℥ß. nuc. Indic. cond. ʒij. ſpec. marchion. ℈ij. fæcul. bryon. ℈j. ſyr. pæon. q. ſ. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nuciſtæ ſumatur.* Veſperi julepum

usurpavit: ℞. *aq. artemis. puleg.* ā. ℥iß. *syr. artemis. & alth. Fernelii* ā ℥j. *spec. marchion.* ℈j. *trochisc. de myrrh.* ℈ß. *misce pro una dosi.* Die quinto saphena pedis dextri mane, & vesperi suffitus uterinus ex trochiscis hystericis *Londinensibus* per infundibulum exceptus, fuit. [Formula horum trochiscorum sequens est, quam celeberrimi Medici *Londinenses*, Practici exercitatissimi, in *pharmacopœa sua p. m.* 241. proponunt. ℞. *asæ foetid. galban.* ā ʒiiß. *myrrh.* ʒij. *castor.* ʒiß. *radic. asar. aristoloch. long. folior. sabin. matricar. nepeth.* ā ʒj. *dictamn.* ʒß. *F. s. a. trochisci cum succo aut decocto rutæ.* Subsequenti die lochia rursum apparuerunt, convulsiones cessarunt, & Ægra omnimodè convaluit.



OBSERVATIO LXXXIX.

Tumor cancrosus in mammâ dextrâ.

FOemina annorum triginta tuberculum exiguum in mammâ dextrâ vix conspicuum passa fuit, cùm autem illud sensim ad avellanæ magnitudinem accresceret, me vocavit: animadverti tumorem rotundum, lividum durum & firmiter parti inhærentem, ægra insignem dolorem non accusavit, saltem de punctionibus, quasi acu contingerent, in loco affecto conquesta fuit. Pro felici cura sequentem sacculum præscripsi. ℞. *rad. polipod.* ℥ß. *cort. tamaric.* ʒij. *herb. veronic. be-*

nic. hepatic. nobil. artemiſ. cardui bened. ſummit. centaur. min. flor. borrag. ā Pi. folior. ſenn. elect. ℥iiß. radic. hellebor. nigr. legit. præpar. ʒij. crem. tartar. ℥ß. raſur. ebor. ʒii. ſem. aniſi ʒiß. pœon. excortic. ʒß. cinam. elect. ʒj. caryophill. ʒß. inciſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui menſura vini albi veteris affundatur, de quo alternis diebus ℥vj. manè cum regimine diætæ bibantur. vino hoc purgante ad finem perducto ob menſium ſuppreſſionem ſaphena pedis dextri aperta fuit, inde menſtrua redierunt, & tumor in mammâ decrevit: hinc ſequentes pilulas conſului, ℞. *extract. catholic. ℈ii. magiſt. ſcammon. gutt. gamandr. ā ℈i. extr. helleb. nigr. legit. præpar. ʒß. pœon. ℈ß. ol. major. gt. vj. miſce omnia diligenter, formentur pilulæ ex ℈j. numer. XI. deaur. conſperg. pulv. cinam. ſumantur undecim pro doſi manè ſingulis ſeptimanis cum convenienti diæta.* Ægra per ſeptem ſeptimanas pilulis iſtis uſa fuit, & tumor omnis in mammâ diſparuit. Cùm emollientia remedia in cancris occultis cane pejus & angue vitanda ſint, tumori huic nullum cataplaſma & emplaſtrum applicare volui, illa enim malum exacerbare & mortem accelerare præcellentium Chirurgorum exempla comprobant. Matrona nobilis apud *Guilielmum Fabricium Hildanum centur. III. obſervat. LXXXVII.* poſteaquam quinquageſimum ætatis annum compleviſſet, menſtruaque ſubſtitiſſent, tuberculo ad papillam dextram correpta fuit, quod licet ab initio durum & aliquo modo moleſtum, attamen quia exiguum & indolens fuerat, ægra flocci pendit: quum autem illud ſubſequenti anno accreſceret, & dolorem excitaret, Chirurgus in conſilium accerſitus fuit, hic cùm emollientia remedia per menſem ferè inte-

P 3 grum

grum adhibuiſſet, paulatim acuto dolore ruptum eſt tuberculum, ſolaque ſanies loturæ carnis inſtar exſtillavit: mox ulcus fœtidum, dolorificum & adeo malignum ſubſequebatur, ut totam mammam ad ſternum & ſub axillam uſque eroderet, tandem ob maximum dolorem, continuum cibi faſtidium & nauſeam perſeverantem Ægra exſpiravit. Sic alia nobilis fœmina, quæ tumorem cancroſum juglandis magnitudine in mamma ſiniſtra patiebatur, cùm ſe cujusdam Medici, promptam ſanitatem audacter pollicentis, curæ ſubmitteret, vitæ diſpendio experta fuit, quàm dammoſa ſit cancri medela reliquorum ulcerum more ſuſcepta; dum enim Medicus iſte remediis emollientibus, calefacientibus & attrahentibus mali ſublationem aggreſſus eſt, majori excitato dolore & inflammatione tumor mammam diſtendens in tantam molem accrevit, ut inſtar mali granati nimiâ maturitate diſſilientis media rupta fuerit, unde obortâ hæmorrhagiâ effreni ad eam compeſcendam Medicus coactus fuit pulveres cauſticos inſpergere, verùm hinc efferata inflammatione & dolore ſuperveniens ſyncope Ægram è medio ſuſtulit, uti *Ambroſius Pareus lib. VI. Chirurgiæ cap. XXX.* refert. Quod in hac cura ad fortiora remedia nempe extractum catholicum & hellebori nigri deſcenderim, *Galenus in commentar. ſect. VI. aphoriſm. XLVII.* anſam præbuit. *γυναῖκα τινὰ καρκινώδη ποτὲ ὄγκον ἐν μαστῷ ἔχουσαν ἰασάμην, ἰσχυρῶς κενώσας πολλάκις διὰ φαρμάκου καθαίροντος μέλανα, καὶ εἰ παραληφθείη ποτὲ ἡ κάθαρσις, ὀδύνη διὰ βάθους αὐτῇ γίνεται, καὶ οὕτως αὕτη μεγαχαλουμένη με, παραχρῆμα κελεύει καθαίρειν. mulierem quandam cùm aliquando tumorem cancroſum in mamilla pateretur, forti atq; frequenti* *medica-*

medicamento atram bilem purgante, ad sanitatem perduxi, si aliquando purgatio omitteretur, dolorem profundam sentiebat & me advocato statim volebat evacuari. Cæterùm in cancris exulceratis incurabilibus, quorum plures in utroque sexu observavi, ad acerbissimos dolores mitigandos & exulcerationes profundiores præcavendas cum magno Ægrotorum solamine ac levamine sequentia remedia præscripsi. ℞. *succor. recent. expreß. solani & plantagin. ā ℥iß. plumb. usti & lot. ℥ß. thur. ʒj. misceantur omnia in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, dein lintea intincta mamillis applicentur.* ℞. *ceruß. ℥ß. plumb. usti & lot. pompholyg. ā ʒij. succ. solan. plantag. recent. expreß. ā ℥ß. ol. rosar. rec. ℥j. unguent. diapomphol. q. s. F. unguentum molle, quo pars affecta illinatur.* ℞. *rad. scrofular. recent. ℥ij. herb. geran. Rob. recent. Mij. ornogloß. solan. plantagin. scabios. caprifol. agrimon. omnium recent. ā Mj. sem. cydonior. fœnigr. ā ℥j. ranar. aquatil. albumin. ovor. num. XII. alumin. ʒij. camphor. ʒß. aq. rosar. solan. plantag. ā q. s. F. destillatum in alembico plumbeo, quo locus affectus sæpe abluendus est.* In hoc casu monendi sunt ægrorum famuli, ut exactam sui rationem habeant, exulcerata enim carcinomata inter morbos contagiosos referri, amplissimus *Tulpius lib. IV. observat. med. IIX.* suo & aliorum exemplo comprobavit. *Adriana Lamberta* ætatis provectæ, post devoratam aliquot annorum molestiam, ulceratum mammæ carcinoma ad eum putredinis gradum pervenit, ut halitu suo inficeret famulam continuè operam ipsi navantem, & quidem eò majore labe, quò diutius suppetias tulerit, ac familiarius cum illa vixerit; è quibus conceptæ perniciei scintillis tandem exortum ingens incendium,

P quod

quod & Dominam & famulam peſſundedit, inſidente utriusque pectori ac alis tam fœdo ac inæquali ulcere, ut aliquando animi penderem, utra illarum graviori ſævitiâ excarnificaretur: imò mihi ipſi ſolus fœtentis hujus carcinomatis interitus præter inſignem cordis defectum aliquando guttur adeo exulceravit, ut quotidie non ſolùm mercurio præcipitato, verùm etiam forfice opus fuerit ad auferendas cruſtas à depaſcente veneno in faucibus excitatas: unde vel cœco apparet, ulceratum cancrum & cominus & eminus contagium ſuum diſſeminare, ac proinde ſatius eſſe fidem habere experimentis indubitatis, quàm incautæ juventuti frivolis argutiis atque excogitatis captiunculis illudere.



OBSERVATIO XC.

Cordis Palpitatio.

Adoleſcens nobilitatis ſtemmate inclytus viginti quatuor annorum, palpitationi cordis obnoxius, dum equo frenis obluctanti diutius inſideret, vehementiſſimum cordis arteriarumque motum paſſus erat, qui ipſum adeo diſcruciabat, ut fere in ſyncopen incideret. Ad illum in hoſpitio coronæ decumbentem vocatus venam in brachio dextro aperire, & ſanguinis uncias octo educere juſſi, qui maximam partem ſeroſus fuit: inſuper ad præcavendam ſyncopen de ſequenti

aqua

aquâ cardiacâ ſæpe cochlear plenum ſumpſit. ℞. *aq. cardiac. officin. borragin. ā ℥iß. cinam. ʒij. margarit. præpar.* ℈*j. lapid. bezoar oriental. ver.* ℈*ß.* [Formula aquæ cardiacæ in officinis noſtris pharmaceuticis conſuetæ ſequens eſt. ℞. *aq. roſar.* ℥*iiij. cinamom. flor. tiliæ ā.* ℥*ij. ceraſor. nigr. meliſſ. violar. ā* ℥*j. julep. roſar.* ℥*iii. miſce.*] Secunda die ad humores ſeroſos blandè evacuandos ſequenti ſyrupo purgante uſus fuit. ℞. *Syrup. roſat. compoſ. ex infuſ. ſenæ, rhabarb. & agaric.* ſupra *obſervat.* LXXIIX. propoſiti ℥*iß. elect. de ſucco roſar.* ʒ*ij. aq. borragin. q. ſ. F. potiuncula.* Veſperi julepum uſurpavit ℞. *aq. borragin. bugloſſ. acetoſ. ā.* ℥*ii. ſyrup. ribium, rubi idæi, citri ā* ℥*j. F. julepus pro duabus doſibus.* Tertio die venam in brachio ſiniſtro aperuit, ſed ſanguis non ita ſeroſus apparuit. Veſperi ad robur cordis electuarium præſcripſi. ℞. *conſerv. roſar. rubr.* ℥*j. borragin.* ℥*ß. bugloſſ.* ʒ*iij. roob ribium.* ℥*ß. confect. alkerm.* ʒ*ij. hyacinth.* ʒ*j. oſſ. de cord. cerv.* ℈*j. lapid. bezoar oriental.* ℈*ß. ſyr. rub. idæi q. ſ. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nuciſtæ ſumatur.* Quarto die motus cordis inordinatus omnimodè ceſſavit. Ut malo huic moleſtiſſimo præveniret Adoleſcens iſte nobilis, vere & autumno venam aperuit, hoc enim in praxi meâ ſemper obſervavi, ad palpitationem cordis tollendam & præcavendam venæſectiones in corporibus plethoricis præſentaneum auxilium afferre, quapropter *Galenus lib. V. de loc. affect. cap. II.* veriſſimè ſcripſit. ὁ παλμὸς τῆς καρδίας πολλοῖς ὑγιαίνουσιν ἀμέμπτως νεανίσκοις τε καὶ παρακμάζουσιν ὤφθη γενόμενος ἐξαίφνης ἄνευ φανεροῦ συμπτώματος ἑτέρου, καὶ πάντες οὗτοι φλεβοτομηθέντες ὤνηντο, καὶ τελέως αὐτῶν ἔνιοι τοῦ συμπτώματος ἀπηλλάγησαν ἐπὶ τῇ φλεβοτομίᾳ λεπτυνούσῃ διαίτῃ μετὰ φαρμάκων ὁμοίων θεραπευθέντες. ἔνιοι δὲ αὐτῶν αὖθις ποτὲ τοῦ συμπτώματος ἐπιφανέντος, ὁμοίως ἐθεραπεύθησαν, οἶδα δέ τινα καὶ κατ' ἐνιαυτὸν

ἦρος ὥρα πάσχοντα τὸ τοῦ παλμοῦ σύμπτωμα, καὶ ἐπειδὴ τρισὶν ἔτεσιν ἐπειράθη τῆς φλεβοτομίας ὠφελούσης ἔφθασεν ἐπὶ τοῦ τετάρτου φλεβοτομηθεὶς πρὶν ἁλῶναι τῷ συμπτώματι, καὶ οὗτος ἔπραττε κατὰ τὸ ἑξῆς ἐτῶν πλειόνων, μετὰ τοῦ καὶ τἄλλα ποιεῖν ἐπὶ τῇ φλεβοτομίᾳ προσηκόντως. *Palpitatio cordis pluribus integra valetudine degentibus tum adoleſcentibus tum adultis ſubitò ſine alio manifeſto accidente evenire viſa eſt, atq; omnes eos ſanguinis detractio juvit, atq; hoc accidente planè liberati ſunt, qui poſt ſanguinis miſſionem tenui victu medicamentisq; ſimilibus uſi ſunt; quos verò hujusmodi accidens rurſus infeſtavit, eâdem curâ curati ſunt. cæterùm novi quendam quotannis verno tempore hujusmodi palpitationis accidente vexatum, qui cùm per tres annos à ſanguinis detractione ſe adjutum intelligeret, anno quarto, antequam accidens ipſum invaderet, ſanguinem miſit, idq; pluribus deinceps annis faciendo, quæq; poſt ſanguinis miſſionem facere oportuit, diligenter obſervavit.* Ante venæſectionem vere ſacculum & autumno apozema ſequens uſurpavit. ℞. *rad. doronic. ſcorzoner. ā ʒij. herb. hepatic. nobil. ceterach. fragar. cichor. ā M ß. flor. IV. cordial. ā P i. folior. ſenæ elect. ℥iiß. rhabarbar. ver. ℥ß. cremor. tartar. ʒiij. ſem. fœnic. aniſ. ā ʒj. raſur. ebor. ʒij. cinnam. ʒj. inciſa & contuſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui menſura vini albi veter. affundatur, de qua alternis diebus ℥vj. cum regimine diætæ ſumantur.* ℞. *rad. polypod. ℥ß. contrajerv. acetoſ. ā ʒij. cort. tamaric. ʒj. herb. hepatic. nobil. cichor. beton. ā Mj. flor. IV. cordial. ā Pj. coq. in aq. font. q. ſ. in colat. ℔ ij. infund. per noct. folior. ſenæ elect. ℥iiß. rhabarb. elect. ℥ß. ſem. fœnic. aniſ. ā ʒj. mane bulliant parùm, cum colat. ſolve ſyrup. flor. perſicor. ℥iij. F. s. a. apozema, de quo alternis diebus ℥ii cum regimine diætæ uſurpentur.* Porrò de aqua noſtra contra palpitationem cordis ſæpe cochlear plenum ſumpſit, cujus formula ſequens eſt. ℞. *cor cervinum in particulas inciſum, abluatur*

luatur vino albo, adde radic. scorzoner. ℥ß. *contrahierv.* ʒii. *folior. hepatic. nobil. fragar. acetos. cichor. betonic. melissæ omnium recent.* ā *Mj. flor. IV. cordial.* ā. *Pi. croci opt.* ʒij. *macis, cinamom. caryophyll. specier. diatrionsantal.* ā ʒj. *incis. & contus. affund. vini alb. veter. aq. rosar. borragin. bugloss.* ā *q. s. ut aliquot digitis emineat, infund. per aliquot dies, dein in B. M. destillentur.* Aqua hæc contra palpitationem cordis à quacunque causa ortam utiliter conceditur.

OBSERVATIO XCI.

Gravis auditus.

VIr quadraginta annorum catarrhis obnoxius subitò auditum in utraque aure perdidit, sic ut adstantium sermones, nisi alta voce clamaverint, percipere nequiverit, ad illum manè vocatus mox sequentes pilulas purgantes præscripsi ℞. *extr. pilul. aurear. catholic.* ā ℈ß. *ol. salviæ gt. ij. F. pil. XI. deaurentur.* vesperi cucurbitulæ cum scarificatione scapulis admotæ sunt. Secundâ die venæsectio in brachio dextro instituta fuit. Tertiâ die potiunculam purgantem usurpavit. ℞. *folior. senn. elect.* ʒiij. *cremor. tartar.* ʒj. *semin. coriandr. præpar. fœnic.* ā ʒß. *aq. betonic. q. s. infund. per noct. mane bull. par. in colat.* ℥iij. *solv. elect. de succo rosar.* ʒj. *syr. fl. persicor.* ℥j. *aq. cinam.* ʒij. *F. potiuncula purgans mane cum regimine diatæ sumenda.* Quartâ die cucurbitulæ rursum scapulis admotæ fuerunt. Vesperi ut & sequentibus diebus suffitum per infundibulum usurpavit.

℞. *radic.*

℞. *radic. ireos florent.* ℥ij. *herb. abrotan. mar. majoran. calaminth. carduibened. absinth.* ā *Pj. flor. lilior. convall. lavendul.* ā *Ps. sem. anis. caryophyll.* ā ℥j. *incisa coq. in vino alb. q. s. pro suffitu.* Quinto die errhinum præscripsi. ℞. *succ. betæ recent.* ℥iij. *major.* ℥ij. *aq. lilior. convall.* ℥iij. *misce.* ex cujus usu continuato pituitam per nares & palatum in magna copia excrevit. Sexto die aquam *Plateri* contra gravem auditum & tinnitum aurium apud nos commendatissimam consului. ℞. *aq. ad auditum* Plateri ℥ß. *vitæ cum castor.* ℥ij. *succi majoran. recent.* ℈j. *misce: intingatur gossipium moschatum & auribus indatur.* [Formula aquæ ad auditum *Plateri* sequens est. ℞. *radic. raphan. porri, cæpar.* ā ℥j. *cyclaminis* ℥ß. *helleb. alb.* ℥j. *herb. siccar. origan.* ℥iij. *rutæ, majoran.* ā ℥ij *flor. lavendul. sem. fœnic. cymin.* ā ℥j. *baccar. laur. num. XV. contundantur omnia, ad. fell. vaccin.* ℥j. *vini alb. q. s. ut velut in pultem redigantur, postea in B. M. destillentur.* Formula aquæ vitæ cum castoreo talis est. ℞. *herb. salv. meliss. rorismarin. betonic rutæ* ā *Mß. nuc. moschat. Zingib. caryophill. cardamom. cinamom.* ā ℥ij. *castor.* ℥iß. *specier. diapliris archont. diambr.* ā ℥j. *opiat. aureæ Alexandr.* ℥ß. *spir. vini rectific.* ℔ *iv. per aliquot dies infundantur, postea in B. M. destillentur.*] Succum majoranæ recentem aquæ *Platerianæ* addidi, quoniam Vir excellentissimus *Osvvaldus Grembsius lib. II. cap. I.* §. *X.* refert, quod alicui surdastro post adhibita multa remedia solus succus majoranæ auribus instillatus amissum auditum restituerit. Ex usu hujus aquæ per aliquot dies continuatæ Æger auditum recuperavit & omnimodè convaluit. Interim ad recidivam præcavendam vere & autumno sequenti sacculo purgante usus fuit. ℞. *radic. enulæ*

℥iij. herb.

ʒiij. herb. betonic. major. salviæ, carduibened. summit. absinth. ā P j. folior. senn. elect. ℥iiß. agaric. rec. trochisc. ℥ß. rhabarbar. elect. ʒij. cremor. tartar. ℥ß. sem. anisi ʒiß. coriandr. præpar. ʒj. incisa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui mensura vini albi veter. affundatur, de qua alternis diebus unciæ sex cum regimine diætæ bibantur. Cæterùm in gravi auditu tollendo, dum praxin medicam exerceo, præter aquam *Platerianam* sequentium remediorum felices effectus etiam observavi. *℞. succ. recent. major. rutæ ā ℥ß. sem. cumin. ʒj. colocinth. ʒß. F. decoctio in vino rubro & ol. amygdal. amarar. usq; ad vini consumptionem, postea exprimantur & gossipium moschatum succo intinctum auribus indatur. ℞. folior. origan. salviæ, majoran. ā M ß. flor. stœchad. lavendul. ā P i. cinamom caryophyll. ā ʒij. coq. in vin. alb. q. s. colaturâ foveatur auris affecta cum spongia mane & vesperi. ℞. ol. amygdalar. amarar. ℥j. castor. ʒj. radic. hellebor. alb. gr. xv. spir. vini ℥ß. ol. destillat. fœnic. carui ā ℈ß. bulliant lento igne ad spiritus vini consumptionem, colaturæ intingatur gossipium moschatum illudq; auribus indatur. ℞. radic. cyper. sem. cumin. anisi, baccar. junip. ā ʒj. castor. ℈j. F. pulvis, quo impleatur cœpe magnum excavatum, quod postea supra prunas coquatur succusq; exprimatur, quo gossipium moschatum intingatur & auribus indatur.* In gratiam juniorum Medicorum diversas remediorum formulas proposui, rectè enim monet *Tulpius lib. IV. observat. medicar. XVI.* Plurima gravis auditus sunt remedia, neque semper *UNI* obtemperat, sed ex deterso ritè tympano & infuso liquore flatus discutiente maximum plerunque emolumentum percipitur: nihil utilius est urina leporina sive seorsim sive cum spiritu vini auribus calidè instillata, cujus frequentior usus multis opitulatus

fuit.

fuit,& præcipuè cuidam proxenetæ *Amſtelredamenſi*, qui eò ſurditatis jam devenerat, ut neceſſe foret, palimpſeſto vel chartæ inſcribere, ſi quid illi verbis communicandum eſſet.

OBSERVATIO XCII.

Pica.

PHarmacopolæ Filius octo annorum ab aliquot menſibus picâ correptus fuit, cretam & calcem muris abraſam avidè devoravit, nullisque ſeveris comminationibus à tali opere deterreri potuit. Pater ipſi vinum emeticum cum croco metallorum paratum me ſuaſore exhibuit. *℞. croci metall. gr. iii. vin. alb. ℥j. infund. per noct. manè filtr. per chart. ſumatur cum regimine diætæ*: unde aliquoties per vomitum humores acidos, auſteros & bilioſos ejecit. Poſtea ſequentem trageam præſcripſi. *℞. ſem. amios ʒj. cardamomi ʒß. ſpec. aromat. caryophill. ʒi. diaxyloal. ʒß. diacinam. ℈i. cornu cervi philoſoph. præpar. ℈ii. raſur. ebor. ʒj. corall. rubr. præpar. ʒß. ſal. abſinth. ℈j. ſacch. opt. ℥iiij. F. s. a. tragea manè & veſperi uſurpanda.* His egregius iſte puer à picâ liberatus fuit. Affectum iſtum gravidas ſæpius corripere, cum Viris fide dignis in praxi medica aliquoties obſervavi. Nota mihi eſt nobiliſſima Domina adhuc ſuperſtes, quæ graviditatis tempore triticum crudum deglutivit, alia etiam nobilitatis ſtemmate inclyta carbones arenamque comedit,& ſe in illis gratiſſimum dulcorem experiri liberè confeſſa eſt. Sic *Tulpius*

pius lib. II. observat. medicar. XXIV. refert, quòd mulier *Daventriensis* prægnans tam impensè halecibus salitis delectata fuerit, ut ante partum mille ac quadringentos comederit, ita Consulis *Amstelodamensis* Filia apud eundem *lib. IV. observat. medic. XXIII.* ad satietatem fruita fuit cespite sulphureo ac plumbi laminis minutatim concisis. *Forestus lib. XIIX. observat. medic. VII.* testatur, mulierem gravidam *Delphensem* comedisse pellem ovillam cum lana, aliam *Alcmariensem* cochlearibus picem navalem excepisse atque deglutivisse, nonnullas autem crudas anguillas devorasse. *D. Casparus Theophilus Bierlingius tomo II. miscellan. medic. observat. CCIX.* de muliere rusticâ recenset, illam prægnationis tempore panem similagineum emptum in vas unguentarium restionis intinxisse, & tam avidè comedisse, ac si Malvatico vino madefactum fuisset: de duabus mulieribus *Dresdensibus* Idem refert, unam prima vice gravidam duodecim vivorum mullonum capita devorasse, alteram verò cyprinum sive carpionem vivum pondere unius libræ à capite usque ad caudam comedisse. Nobilissimas Fœminas prædictas à molestissimo hoc malo sequentibus remediis liberavi. Cùm illis propter periculum abortus crocum metallorum in vino exhibere non licuisset, potionem blandam purgantem præscripsi. ℞. *rhabarb. elect.* ʒiij. *herb. betonic. cardui bened.* ā *Pi. cortic. arantior. sicc.* ʒß. *aq. cichor. q. s. infund. per noct. mane bull. par. in colat.* ℥iii. *solve syr. de cichor. simplic. cum rhabarb.* ℥j. *F. potio manè cum regimine diætæ sumenda.* Postea convenientes rotulæ præscriptæ sunt. ℞. *spec. aromat. rosat.* ʒj. *diamargar. frig.* ʒß. *rasur. eboris* ʒj. *corall. rubr. præpar.* ʒß. *con-*

ʒß. confect. alkerm. incompl. ʒi. sacch. opt. aq. cichor. solut. ℥iiij. F. s. a. rotulæ pro lubitu usurpandæ. Sæpe ante prandium aliquot amygdalas amaras ac nucleos persicos comederant, & vesperi ante cœnam scrupulum seminis amios in vino generoso usurparunt, in mensa autem capparibus & radicibus cichoreæ cum oleo & pauco aceto paratis magno cum fructu usæ fuerunt.



OBSERVATIO XCIII.
Phrenitis.

Mercatoris Filius octodecim annos natus, febre, delirio & vigiliis inopinatè correptus fuit, vocatus cum illius faciem purpureo colore suffusam & oculos torvos nunc fixos nunc vagabundos conspexissem, ægerque delirans sæpius altâ voce clamasset, & è lecto dictorum factorumque immemor prosiliisset, illum phrenitide afflictum esse Parentibus indicavi. Præmisso clystere statim vena in brachio dextro aperta fuit, *R. rad. alth. ℥j. folior. malv. violar. ā Mij. flor. nymph. Pij. sem. anisi ʒii. coq. in aq. font. q. s. in colat. ℥x. solve elect. diacatholic. ℥j. mell. violar. ℥iß. F. clyster.* Vesperi julepum usurpavit, ℞. *aq. lactucæ, portulac. ā ℥iij. syr. berber. ℥ij. spir. vitriol. gt. vj. F. julepus pro duabus dosibus.* Secunda die venam in brachio sinistro aperire jussi, & julepum pro quatuor dosibus præscripsi. ℞. *aq. cichor. acetos. ā ℥vj. syr. citri ℥iiij. spir. vitriol. gt. vj. F. julepus.* Tertio die, cum delirium maximè urgeret, frontale

& po-

& potiuncula somnifera præscripta fuit. ℞. *aq. rosar. nymphææ, plantagin. lactuc. ā ℥iij. aceti rosat. ℥iß. F. frontale.* ℞. *syr. papav. alb. simplic. ℥j. aq. nymphææ ℥ß. F. potiuncula, sumatur horâ somni.* Quarto die venæsectio repetita & vesperi emulsio concessa fuit. ℞. *amygdal. dulc. recent. excorticat. ℥j. sem. cucumer. melon. recent. excorticat. ā. ℥ß. papav. alb. ʒij. aq. nymphææ, lactucæ, papaver. erratic. ā ℥iij. sacchar. rosat. tabul. ʒß. F. emulsio pro tribus dosibus.* Quinto die ob incendium febrile carpis & cordi epithema appositum, nec non electuarium refrigerans præscriptum fuit. ℞. *aq. rosar. fragrant. ℥iiij. violar. acetos. ā. ℥j aceti rosat. ℥iß. spec. cordial. ℈ii. F. epithema.* ℞. *conserv. rosar. rubr. ℥iß. citri ʒvj. roob ribium ℥j. spir. vitriol. gt. x. syr. berber. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucis moschatæ concedatur*, Sexto, septimo, octavo, nono & decimo die præcedentes julepi, emulsiones & horâ somni bis potiunculæ somniferæ repetitæ fuerunt. Undecimo die febris remisit, ratiocinatio rediit, præscriptâ potiunculâ purgante blandâ ægro valedixi. ℞. *folior. senæ elect. rhabarb. elect. ā ʒij. cremor. tartar. ʒj. sem. anisi ʒß. aq. endiv. q. s. infund. per noct. manè bulliant par. in colat. ℥iij. solve syr. rosat. solut. simplic. ℥j. F. potio purgans manè cum regimine diætæ sumenda.* Per totum morbi decursum victu tenui, refrigerante, jusculis borragine, acetosâ, lactucâ & endiviâ alteratis usus est, ac pro potu ordinario vel tincturam rosarum aut aquam divinam sequenti modo paratam bibit. ℞. *flor. rosar. rubr. ʒiij. aq. font. ℔ iiij. bulliant par. colatur ad. julep. rosat. ℥iij. sacchar. opt. ℥ij. spir. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.* ℞. *pomum citri, incidatur minutim, aq. fontan. ℔ iiij, infundantur per aliquot horas,*

colentur & exprimantur, ad sacch. opt. ℥ij. spir. vitrioli q. s. ad gratam aciditatem. vel ℞. succi citri recent. ℥iiij. sacch. opt. ℥ij. aq. font. ℔ iiij. F. s. a. aqua divina.

OBSERVATIO XCV.

Mania.

Monachus annos triginta natus, calido & sicco temperamento præditus, sanguine abundans, posteaquam noctes aliquot insomnes transegisset, inopinatè Symmystis suis corpore ferociente commentitias fabellas protulit, & blateravit inania verba, paulo post oculis toruis vestem religiosam dilaceravit, & omnes Cœnobii angulos horrendo ejulatu pervagatus, ipsosque symmystas tanto cum animi furore & corporis vigore aggressus est, ut quatuor robusti Viri illum vix ac ne vix coercere potuerint. Primâ die scrupulum dimidium extracti hellebori nigri usurpavit, quod in aquâ borraginis solutum concessi, unde per superiora & inferiora humores à bile corruptos copiosè dejecit: vesperi ad furorem demulcendum epithema frontale præscripsi. ℞. *aq. rosar. ℥iiij. nymphææ ℥ii. nitri præpar. ʒj. opij ℈i. sacch. ♄ ℈ß. camphoræ gr. v. F. epithema frontale cum linteis complicatis tepidè admovendum.* Secundo die manè vena in brachio & vesperi in pede sinistro ad pollicem excurrens aperta fuit. Tertio die vinum emeticum ex scrupulo dimidio croci metallorum paratum sumpsit, unde rursus ἄνω τε καὶ κάτω *supra & infra* purgatus fuit.

fuit. Sub vesperam pro conciliando somno emulsionem usurpavit. ℞. *semin. cucum. melon. rec. excort. ā ʒiß. papav. alb. ʒij. aq. nymph. ℥iij. borragin. ℥i. sacch. rosat. tab. ʒij. F. emulsio.* Quarto die vena in brachio dextro aperta fuit: vesperi ad vigilias arcendas linimentum præscripsi. ℞. *unguent. alabastr. ʒiij. populeon. ʒij. opij* ℈ß. *ol. nymph. q. s. F. linimentum, quo horâ somni frons & tempora inungantur.* Quinto die salvatella in manu aperta fuit. Sexto die vinum emeticum cum *ἀφοσία* rursum concessi, septimo die apertionem venæ frontis consului. Pro potu ordinario bibit decoctum C. C. cujus cyatho pleno syrupus aperitivus *Mindereri* juxta *Zuelferum* correctus cum aliquot guttis spiritûs nitri commixtus fuit. Ex usu horum remediorum furor cessavit, & ratiocinatio rediit. Ad recidivam inhibendam singulis mensibus pilulas convenientes usurpavit. ℞. *extract. pilular. tartarear. Quercetani* ℈ii. *catholic.* ʒß. *helleb. nigr.* ℈j. *mercur. dulc.* ℈ij. *mag. radic. jalap.* ℈j. *ol. majoran. gt. viij. misc. diligenter, forment. pilul. ex* ℈j. *num. xiij. deaurentur & conspergantur pulvere cinam. dosis est. xiii.* Tempore verno sacculum & autumnali apozema purgans consului. ℞. *rad. polypod. ʒiij. cort. tamar. ʒij. herb. betonic. scolopendr. veronic. carduibened. summit. centaur. min. flor. borragin. ā. Pi. folior. senæ elect. ℥ii. radic. helleb. nigr. præpar. ʒiij. sem. pæon. excort. ʒj. anis. ℥iß. cremor. tartar. ʒß. cinam. ʒj. incisa & contusa dentur ad sacculum ex sindone albo, cui* ℔ *iiij. vini albi veteris affundantur, de cujus colaturâ manè alternis diebus cum regimine diætæ unciæ sex sumantur:* quo potu finito vena in brachio dextro aperiatur. ℞. *radic. polypod. ℥ß. cort. tamaric. ʒij. herb. ceterach, cuscutæ, agrimon. chamædr. ā M ß. flor. bor-*

 ragin

ragin. Pi. sem. anisi ℥iß. *pæon. excortic.* ℥j. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℔iß. *infund. per noct. folior. senæ elect.* ℥ij. *radic. helleb. nigr. præpar.* ℥iij. *manè bulliant parùm in colaturâ solve syr. rosʃ. sol. simplic. & flor. persicor* ā ℥iij. F. s. a. *apozema, de quo alternis diebus manè unciæ tres cum regimine diætæ usurpentur:* hoc finito vena in brachio sinistro aperienda est. Intermedio tempore electuarium & rotulas convenientes usurpavit. ℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥j. *borragin. bugloss.* ā ℥ß. *citri* ℥ij. *confect. alkermi. hyacinth.* ā ʒß. *spec. diamargar. frig.* ℈ij. *marchion.* ℈j. *syr. cort. citr. q. s. F. electuarium de quo magnitudo nucistæ sumatur.* ℞. *confect. alkerm.* ℥iij. *spec. lætificantis* Galeni, *diamargar. frigid. de gemmis frigid.* ā ℥j. *sacchar. opt. aq. rosar. & borrag. solut.* ℥vj. F. s. a. *rotulæ pro lubitu usurpandæ.* Quod in debellando hoc affectu toties ægro venam aperiri mandaverim, ansam mihi præbuit *Platerus lib. I. prax. med. cap. III.* asserens, innumeros per repetitas venæsectiones sanitati restitutos fuisse à Chirurgis quibusdam & aliis, qui ex professo hisce morbis tollendis operam dabant, & vigesies imò sexagesies venas tundendo insanos ita restituebant, ut postea incolumes longam vitam vixerint: hi in venâ certâ eligendâ non laborant, sed nunc brachii, mox pedis, nunc alterius partis venam sine discrimine aperiunt. Quod remedii genus monitore *Platero* etiam nos, sed majori curâ & prudentiâ, quàm illi qui non nisi tanquam deploratos curandos suscipiunt, methodicè intermixtis purgationibus usurpare, minimeque negligere debemus: itaque vena brachii magis patens primùm aperienda, dein salvatella in manu secanda erit; etiam in pedibus vena malleoli saphena dicta, si menses non

rectè

rectè fluant, vel quæ ad pollicem pedis excurrit, utiliter aperitur: quando malum perseverat, & si causa præcipuè circa caput latere deprehenditur, apertio venæ frontis maximè prodest.



OBSERVATIO XCV.

Peripneumonia.

MErcator quadraginta annorum post mediam noctem intenso calore universum corpus pervagante correptus fuit, cùm manè vocatus febrim continuam acutam, tussim siccam, difficultatem respirationis summam cum suffocationis metu, genarum & faciei ruborem, sitim vehementem & pulsum magnum in illo observassem, inde ægrum peripneumoniâ laborare satis superque collegi. Statim vena in brachio dextro magis conspicua aperta & postea clyster injectus fuit. ℞. *radic. alth.* ℥iß. *herb. scabios. farfar. violar. malv. ā Mj. flor. papav. rhead. Pi. sem. anis.* ʒij. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥viij. *solv. mell. violar.* ℥ij. *elect. diacatholic.* ʒiß. *F. clyster.* Ad ardorem febrilem & sitim mitigandam sequenti decocto usus fuit. ℞. *radic. acetos.* ʒiij. *liquir. ras.* ʒj. *C. C. usti* ʒij. *aq. font. q. s. coq. in colat.* ℔ iiij. *solve syr. violar. purpur. & papav. erratic. ā* ℥vj. *spir. sulphur. q. s. ad gratam aciditatem: misce pro potu ordinario.* Vesperi ad promovendam materiæ concoctionem, febris mitigationem & virium robur conservandum julepus & aqua cardiaca præscripta fuit. ℞. *aq.*

farfar.

farfar. papav. erratic. cichor. ā ℥ij. syr. violar. purpur. granat. papaver rhead. ā ℥j. F. julepus pro duabus dosibus. ℞. *aq. cardia. officin. nostr. ℥ij. scabios. papav. rhead. farfar. ā ℥j. margarit. præpar. ℈j. F. aqua cardiaca.* Secundo die venæsectio in brachio sinistro instituta fuit: vesperi ut calor febrilis mitigetur & concoctio humorum promoveatur, emulsionem usurpavit. ℞. *amygdal. dulc. rec. excort. ā ℥ß. sem. cucum. melon. rec. excort. ā ʒij. aq. farfar. ℥iij. cichor. papav. rhead. ā ℥iß. sacch. rosat. tab. ʒii. F. emulsio pro duabus dosibus.* Tertiâ die Æger liberius respiravit, & sputa subflava, striis sanguineis mixta, excrevit, inde syrupos sequentes præscripsi. ℞. *syr. farfar. jujubin. papav. rhead. ā ℥j. aq. scabios. ℥ß. misce, sumatur cochlear. plenum pro lubitu.* Quarto die cum febris adhuc urgeret, alvusque adstrictior esset, julepum & clysterem consului: ℞. *aq. farfar. cichor. papav. rhead. ā ℥ij. syr. granator. ℥j. ribium papav. rhead. ā ℥ß. spir. sulphur. gt. viii. F. julepus, cujus altera portio ante clysteris injectionem, altera post ejus operationem sumatur.* ℞. *radic. acetos. ℥i. herb. violar. endiv. malv. ā Mij. flor. sambuci Pi. sem. anis. ʒii. coq. in colat. ℥viii. solve mell. rosat. ℥ii. electuar. lenitiv. ℥j. ol. violar. ℥i. F. clyster.* Quinto die julepus præcedens repetitus fuit. Sexto die emulsionem prædictam usurpavit. Septimo die cum majorem humorum concoctionem in sputis animadverterem, conveniens electuarium & rotulas præscripsi. ℞. *conserv. rosar. rubr. ℥iß. violar. ℥ß. betonic. ʒij. spec. diatrag. frigid. ℈ii. ocul. cancr. præpar. ℈j. syr. farfar. jujubin. ā. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur.* ℞. *spec. diatragac. frig. ʒij. ocul. cancr. præpar. ℈ij. confect. alkerm. ʒj. sacch. opt. aq. farfar. solut. ℥iij. F. s. a. rotulæ pro beneplacito usurpandæ.* Octavo die ad humores noxios

xios blandè per alvum evacuandos potiunculam purgantem præscripsi. ℞. *folior. senæ elect.* ℥iij. *tamarindor. recent.* ℥ij. *agaric. rec. troch.* ℥j. *sem. anisi* ℈ij. *cremor. tartar.* ℥j. *aq. farfar. cichor.* ā *q. s. infund. per noct. manè bulliant par. in colat.* ℥iii. *solv. mannæ Calabr. elect. colat.* ℥ß. *aq. cinam.* ℥ij. *F. potio purgans manè cum regimine diætæ usurpanda.* Nono die cum omnia symptomata remitterent, Ægro valedixi.



OBSERVATIO XCVI.

Icterus niger.

SAcerdos Episcopatûs *Basiliensis* propter valetudinem adversam me vocavit, qui de universâ vitium jacturâ, appetitu ad quemcumque cibum prostrato & aggravante præcordiorum compressione mihi conquestus fuit; cùm præterea in illo febrem lentam, contumacem alvi constipationem, colorem in oculis, facie reliquisque corporis partibus flavum & subnigrum ac urinam nigram observassem, Ægrum ictero nigro correptum esse, Matri & Sororibus præsentibus indicavi. Inspecto abdomine, quum in hypochondriis nullam duritiem advertere potuerim, ægro animum addidi indicando affectum nondum, uti adstantes sibi imaginantur, ultima minari, chronicum quidem longas post se trahere moras, sed medicamentis potentioribus adhuc profligari posse, modò in remediis usurpandis exactam diligentiam teneat,

atque æger Medici juſſis obtemperet æquis. Ante omnia convenientem ſacculum purgantem præſcripſi. ℞. *radic. polypod.* ℥ß. *cort. tamaric.* ʒij. *herb. ſcolopendr. fragar. carduibened. ſummitat. centaur. minor. abſinth.* ā *Pi. folior. ſenæ elect.* ℥ij. *cremor. tartar.* ℥ß. *radic. helleb. nigr. præpar.* ʒij. *ſem. aniſi* ʒiß. *raſur. eboris* ʒij. *cinam.* ʒj. *inciſa dentur ad ſacculum ex ſindone albo, cui affundantur vin. alb. veter.* ℔iij. *aq. chelidon.* ℔j. *de colaturâ ſumantur manè unciæ ſex cum regimine diætæ.* Contra contumacem alvi adſtrictionem prunis laxantibus uſus eſt. ℞. *Folior. ſenæ elect.* ℥iß. *cremor. tartar.* ℥ß. *ſem. aniſi fœnic.* ā ℥iß. *aq. cichor. borragin.* ā *q. ſ. infund. per noctem, manè cum colat. ſufficiente coq. par. prunor. recent. exſiccat.* ℥iiij. *ad. ſacch. opt.* ℥ii. *aq. cinam.* ℥j. *F. s. a. pruna laxativa, de quibus quinque cum aliquot cochlearibus brodio plenis horâ ante cœnam ſumantur.* Cùm ab uſu horum remediorum Æger meliuſculè ſe haberet, præmiſſo clyſtere apozema ſequens uſurpavit. ℞. *radic. alth.* ℥j. *bryon.* ℥ß. *herb. ſcolopendr. malv. centaur. min. abſinth.* ā *Mj. flor. chamæm. melilot.* ā *Pi. folior. ſenæ elect.* ℥i. *radic. helleb. nigri præpar.* ʒiij. *coq. in colat.* ℥x. *ſolve elect. benedict. laxat.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ℥ß. *ol. cappar.* ℥j. *F. clyſter:* qui aliquoties repetitus fœces nigras carbonibus ſimilimas eduxit. ℞. *radic. fœniculi* ℥j. *polypod. apii* ā ℥ß. *cort. cappar. tamaric. dulc. amar.* ā ʒij. *herb. hepatic. nobil. cichor. beton. agrimon.* ā *Mj. flor. borragin. bugloſſ. geniſt.* ā *Pj. tamarind. recent.* ℥ii. *ſem. aniſ.* ʒiß. *pæon. excort.* ʒß. *cinam.* ʒj. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℔iß. *infund. per noct. folior. ſenæ elect* ℥iß. *rhabarb. elect.* ℥ß. *radic. hellebor. nigr. præparat.* ʒij. *manè bulliant par. in colat. ſolve ſyrup. roſat. ſolut. ſimplic. & flor. perſicor.* ā ℥iiij. *F. s. a. apozema, de quo alternis diebus manè unciæ tres cum regimine*

diætæ

diata usurpentur: hoc excrementa croco & atramento simillima copiosè eduxit, ita ut æger cibum sensim appetere & vires recolligere inceperit. Cùm obstructiones hypochondriorum nondum sublatæ viderentur, electuarium & rotulas ex croco martis aperiente paratas commendavi. ℞. *croci mart. aperient.* ℥j. *spec. aromat. rosat.* ʒj. *cinam. mac. santal. rubr.* ā ℈i. *ol. nucistæ gt. vj. caryophyll. gt. iiij. mell. despumat. & sacchar. alb. ā q. s. F. s. a. electuarium:* vesperi aliquot horis ante cœnam quinque aut sex rotulas usurpavit, ℞. *croci martis aperient.* ℥ß. *confect. alkerm.* ʒij. *spec. aromat. ros.* ʒj. *sacch. opt. aq. chelidon. & rosar. sol.* ʒiiij. *ol. cinam. macis ā gt. iij. F. s. a. rotulæ.* Remediis istis usurpatis denuo reliquias humorum noxiorum per ἐπίκρασιν eduxi. ℞. *extr. pilular. tartarear. Quercet.* ℈ij. *catholic.* ʒß. *gutt. gamandr.* ℈j. *extr. ammoniac. Quercetan.* ʒß. *helleb. nigr. præpar.* ℈ii. *absinth.* ℈j. *ol. macis gt. vj. anisi. gt. iiij. cinam. gt. ij. misce diligenter, formentur pilulæ ex* ℈j. *num. xviij. deaur. & conspergantur pulvere cinamomi:* de istis pilulis qualibet septimanâ bis novem sumpsit, unde appetitus ciborum rediit, gravans præcordiorum dolor cessavit, urina clara naturali similis apparuit, colorque faciei flavus & subniger evanuit. Ad recidivam præcavendam jussi illum vere & autumno apozema vel sacculum purgantem usurpare: tempore vindemiali vinum medicamentosum ex musto recente vini albi paratum fuit. ℞. *radic. apij, fœnicul. enulæ ā* ℥iiij. *cort. tamaric.* ℥ij. *cappar.* ℥j. *herb. betonic. hepatic. nobil. scolopendr. chamædr. carduibened. chelidon. maj. ā* M vj. *centaur. min. absinth. ā* M iij. *concisis* X L. *mensur. ex musto recente vini albi affundantur:* quod si deferbuerit, de illo cyathum ple-

num manè & in prandio pro primo hauſtu evacuare conducit.

OBSERVATIO XCVII.
Renum hæmorrhagia.

Mercator quadraginta annorum plethoricus, dum manè è lecto ſurgeret, ſanguinem copioſum cum urinâ ſine dolore reddidit, & ex inopinato hujus ſanguinis effluxu conſternatus me vocavit. Indicavi ægroto apertionem vaſorum in renibus factam eſſe à ſanguine fervido, qui vaſorum oſcula dilatarit, unde ſanguis in ſinus renum effuſus per ureteres in veſicam manavit & cum urinâ excretus fuit. Statim venam in brachio dextro aperire juſſi: ad vaſorum laxitatem leniter conſtringendam regio renum linimento inuncta, & emulſio conveniens præſcripta fuit. ℞. *unguent. Comitiſſ. ſantalin. ā ℥iij. albi camphorat. roſat. Meſue ā ℥ij. ſacch.* ♄ ℈j. *camphor.* ℈ß. *ol. nymph. q. ſ. F. linimentum.* ℞. *amygdal. dulc. recent. excortic.* ℥ß. *ſemin. papav. alb.* ℥ii. *aq. plantagin.* ℥iij. *burſæpaſtor.* ℥j. *ſacch. roſat. tab.* ℥ij. C. C. *philoſ. præpar.* ℈j. *F. emulſio pro duabus doſibus.* Frequenter etiam de ſequenti aquâ cochlear plenum ſumpſit: ℞. *aq. cardiac. officinal.* ℥iß. *plantagin. burſæpaſtor. polygon. ā* ℥j. *boli armen. ver.* ℈ii. *lapid. hæmatit. præpar.* ℈j. *confect. alkerm.* ʒj. *miſce.* Pro potu ordinario decoctum C. C. & emulſionem amygdalinam bibit. Secundâ die, ut ſanguis à ſero & bile acriori evacuetur, potionem blandam purgantem uſurpavit.

℞. Ta-

℞. Tamarindor. rec. ℥iij. rhabarb. elect. ʒij. crem. tartar. ʒj. sem. anisi ʒß. aq. cichor. q. s. infunde per noctem, manè bulliant parùm, in colat. ℥iii. solve syr. flor. persicor. ℥j. aq. cinnam. ʒii. elect. de succo rosar. ʒi. F. potio purgans manè cum regimine diætæ sumenda. Tertiâ die manè remedium usurpavit, quod *Forestus lib. XXIV. observat. medic. XIII.* maximè commendat. *℞. Lact. ovill. ℥iiii. boli armen. ver. pulv. ʒj. misce, sumatur tepidè. ℞. aq. polygon. bursæpastor. ā ℥iij. syr. plantagin. ℥iß. berber. ℥j. F. julepus pro duabus dosibus.* Quinto die pulverem convenientem in tribus dosibus cum aquâ plantaginis sumpsit. *℞. corall. rubr. præparat. bol. armen. ver. ā ℈j. C.C. philosoph. præpar. lapid. hæmatit. præpar. ā ℈ß. F pulvis.* Quinto die scrupulum trochiscorum *Gordonii* in pulverem redactorum cum aquâ bursæpastoris usurpavit. Sexto die trochiscorum de carabe drachmam dimidiam in aquâ plantaginis concessi, quo remedio *Christophorus à Vega lib. III. de arte medend. sect. IX. cap. I.* familiarem in collegio *S. Bernhardi* sanguinem sincerum cum urina reddentem sanitati restituit. Septimo die syrupum convenientem præscripsi: *℞. radic. alth. ℥i. liquir. ras. tormentill. ā ℥ß. consolid. maj. bistort. ā ʒij. herb. plantag. Mii. heder. terrestr. veronic. betonic. agrimor. ā Mj. flor. 4. cordial. balaustior. ā Pi. sem. 4. frigid. major. ā. ʒiß. anisi ʒj. jujubar. recent. par. XX. coq. in aq. font. q. s. ad. sacch. F. syrupus;* de quo sæpius aliquot cochlearia plena sumantur. Octavo die cum urina naturali similis apparuerit, Ægro valedixi. Ad recidivam præcavendam prædicto syrupo & sequentibus rotulis ac tragea usus fuit. *℞. confect. alkerm. ʒii. spec. diatrion santal. ʒiß. boli armen. ver. trochisc. gordonii pulv. ā ʒj. corallor. rubr. præpar. ℈ii. sacchar. opt. aq. rosar. so-*

sar. solut. ℥iij. *F. s. a. rotulæ.* ℞. *spec. diarrhod. abbat.* ʒii. *corallor. rubr. præparat.* ʒi. *trochisc. de carabe pulv.* ʒß. *lapid. hæmatit. præpar.* C. C. *philosf. præpar.* ā ʒj. *sacchar. rosat. tab.* ℥iiii. *F. s. a. tragea.* Ex usu horum remediorum usque ad hunc diem ab omni renum hæmorrhagiâ liber fuit.



OBSERVATIO XCIIX.

Renes exulcerati.

VIr quadraginta annorum è celebri familiâ natus, cùm per tres dies materiam purulentam cum urinâ sine dolore reddidisset, me vocavit, & inter alia retulit, se per aliquot temporis spacium in lumbis dolorem cum gravitate percipere, & nunc à tribus diebus verum pus urinæ permixtum emittere. Indicavi ægro, me ex omnibus signis satis superque colligere, aliquam in renibus exulcerationem sublatere. Primâ die purgationem blandam præscripsi. ℞. *conserv. rosar. rubr.* ʒß. *mag. rad. jalap. gr. xij. sacch. q. s. F. bolus purgans cum regimine diætæ sumendus.* Pro potu ordinario sequens decoctum bibit. ℞. *rad. chinæ recent.* ℥ß. *liquir. ras.* ʒii. *lign. sassafr.* ʒiii. *sem. anisi* ʒj. *jujubar. rec. par. vj. incisa coq. in aq. font. ad* ℔ *viij. colat. ad sacch. opt.* ℥ij. *misce.* Secundâ die emulsionem detergentem sumpsit. ℞. *amygdal. dulc. recent. excort.* ℥ß. *sem. cucum. melon. rec. excort.* ā ʒij. *papav. albi* ʒj. *aq. malvæ* ℥vj. *sacch. rosat. tab.* ʒij. *ocul. cancr. præpar.* ℈j. *F. emulsio pro duabus dosibus.* Regio re-

gio renum convenienti linimento tepidè inuncta fuit. ℞ *unguent. alb. camphorat.* ℥ß. *refriger. Gal. rosat. Mesue* ā ℥iij. *diapompholyg.* ℥ij. *facch.* ʒ. ℈ii. *camphor.* ℈ß. *ol. hypericon. q. s. F. linimentum.* Tertio die syrupos præscripsi, de quibus sæpe aliquot cochlearia plena sumat. ℞. *syr. alth. Fern.* ℥ij. *jujubin. liquirit.* ā ℥j. *aq. malux* ℥ß. *misce.* Quarto die majoris detersionis causâ pilulas & julepum consului. ℞. *Terebinth. opt. cum aq. plantagin. coct.* ʒj. *trochisc. gordon. & alkekeng. pulv.* ā ʒß. *misce diligenter, formentur pilulæ ex* ℈j. *num. xv. pro dosi & sumantur horâ ante cœnam.* ℞. *aq. maluæ* ℥vj. *veronic. heder. terrestr.* ā ℥iß. *syr. alth. Fern.* ℥ij. *jujub. julep. rosat.* ā ℥i. *spir. salis gt. vj. F. julepus pro tribus dosibus.* Quarto die quum pus in minore quantitate cum urinâ excerneret, rotulas & electuarium præscripsi. ℞. *spec. diatragac. frig.* ʒij. *corall. rubr. præpar. oculor. cancr. præpar.* ā ʒß. *C. C. philosoph. præpar.* ℈j. *facch. opt. aq. rosar. solut.* ℥iii. *F. s. a. rotulæ pro lubitu usurpandæ.* ℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥i. *violar.* ℥ß. *radic. symphyt. cond. cichor. cond.* ā ʒiij. *ocul. cancr. præpar.* ℈ii. *boli armen. ver.* ℈i. *syr. alth. Fern. q. s. F. s. a. electuarium.* Sexto die jussi illum per octiduum manè trochiscorum *Plateri* contra exulcerationem renum & vesicæ commendatorum scrupulos duos in lacte caprino sumere. [Formula excellentium horum trochiscorum talis est. ℞. *nucleorum & medullæ sequentium seminum & fructuum excorticatorum recentium, ut sunt amygdalarum dulcium, avellanarum, pistaciorum, pinearum* ā ℥ß. *amygdalarum amararum, persicorum cerasor.* ā ʒij. *castanear. glandium, cucurbit.* ā ℥ß. *melon.* ʒii. *hordei mundat. oryzæ mundat.* ā ʒiij. *radic. consolid.* ʒij. *glyzyrrhizæ* ℥ß. *flor. rosar. rubr. baolaustior. sem. portulac. lactuc. endiv. psyllii, lini, gossipii, cydonior. malvæ,*

maluæ, althea, myrti, coriandr. alkekengi, anisi, apii, petroselin. ā ℨj. sem. papaver. alb. ℥ß. hyoscyam. ʒii. ossa dactylor. n. v. gummi cerasor. prunor. ā ℨij arabici, tragacanth ā ℨj. terebinthinæ veræ ℥ß. thuris, succini ā ℨj. succi glyzyrrhizæ, amyli ā ℨij. acaciæ, hypocistid. ā ℨiß. sanguin dracon. ℨß. opij ℨj. boli armen. terræ sigill. ā ℨvj. corall. rubr. lapid. osteocoll. oculor. cancr. ā ℨij. spodij ℨj. santal rubr. ℈ii. sacchari candi & perid. ā ℥i. F. pulvis. cujus dosis a ℨß. ad ℨj. per se vel in aquis appropriatis. Ne citò corrumpatur ad. sacchar. ℥x. & cum aqua maluæ fiant tabellæ aut cum infusione gummi tragacanthi recente parentur trochisci] Cum per septimanam hujus remedij usum Æger continuasset, urina ab omni pure vacua apparuit, unde prædictis tabulis sivè trochiscis *Platerianis* ad recidivam præcavendam manè & vesperi diligenter usus fuit.



OBSERVATIO XCIX.

Dolor ischiadicus.

MErcator quadraginta annorum cum è nundinis *Bernensibus* domum rediret, acerbissimum dolorem in dextrâ regione ossis sacri passus fuit, qui dum in femur, tibiam & extremum pedem se extenderet, dolorem ischiadicum esse pronunciavi, rectè enim *Hippocrates* in libro de *affectionibus* §. XXX. asserit. ἰχιὰς ὅταν γένηται, ὀδύνη λαμβάνει ἐς τὴν πρόσφυσιν τοῦ ἰχίου καὶ ἐς τὸ γλουτόν, τέλος δὲ καὶ διὰ παντὸς τοῦ σκέλεος πλανᾶται ἡ ὀδύνη. *Coxendicum morbus quum fit, dolor corripit coxæ juncturam & summos nates ac*

coxen-

coxendicem, tandem etiam per totum crus dolor vagatur. Sub veſperam vocatus clyſterem in dolore coxendico familiarem præſcripſi. ℞. *radic. bryoniæ. ℥j. altheæ ℥ß. herb. betonic. chamædr. chamæpith. malv. ā Mj. flor. chamam. melil. ā Pj. ſemin. lini. ℥ß. aniſi ʒii. pulp. colocynth. in nodulo ligat. ʒj. coq. in aq. font. q. ſ. in colat. ℥x. ſolve mell. roriſmar. ℥iij. elect. benedict. laxat. ℥j. terebinth. cum vitello ovi ſolut. ʒiij. F. clyſter.* Noctu ad doloris mitigationem laudani mei opiati granum unum conceſſi. Pro potu ordinario ſequens decoctum bibit. ℞. *radic. chinæ ʒvj. ſarſæparill. ℥ß. lign. ſaſſafr. ʒiij. coq. in aq. font. ad ℔ xij. colatura detur ad uſum.* Secundâ die potiunculam purgantem uſurpavit, vomitorium enim propter reſpirationis difficultatem præſcribere non audebam. ℞. *folior. ſenn. elect. ʒiij. agaric. rec. trochiſc. ʒi. rhabarb. elect. ʒß. ſem. aniſi ʒi. cremor. tartari ℈ii. aq. cichor. betonic. chamœpith. ā q. ſ. infund. per noctem, manè bulliant parùm, in colat. ℥iii. ſolve elect. de ſucco roſar. ʒi. ſyr. flor. perſicorum ℥ß. aq. cinam ʒij. F. potiuncula purgans.* Tertio die ad revulſionem vena in brachio dextra aperta fuit: noctu ob ferociam doloris grano laudani mei uſus eſt. Quarto die, cùm in ſanguine emiſſo ac univerſo corpore magnam humorum pituitoſorum & bilioſorum copiam advertiſſem, ſequentem bolum purgantem præſcripſi. ℞. *conſerv. roſar. rubr. ʒi. mercur. dulcis ver. ℈j. diagrid. gr. viij. cum ſaccharo fiat bolus manè cum regimine diætæ ſumendus:* ex hujus remedii mercurialis uſu multoties dejecit & manifeſtum levamen percepit. Quinto die manè vena iſchias in pede aperta fuit: veſperi potiunculam ſudoriferam uſurpavit. ℞. *aq. betonic. ℥i. mithrid. opt. ʒi. miſce.* noctu propter contumaciam

ciam doloris granum laudani mei opiati concessi. Quinto die linimentum præscripsi, quo pars affecta quotidie bis, præmissâ aquâ sequenti, tepidè illinatur. ℞. *aq. vitæ cum castor. & mastich. in exercitat. de apoplex.* §. *XII. proposit.* ā ℥iij. *spirit. iuniper. cerasor. nigr. melissæ* ā ℥j. *ol. destill. salviæ* ℈j. *rorismar.* ℈ß. *misce.* ℞. *unguent. martiat.* ℥iß. *alth. Fernel.* ℥j. *ol. lumbricor. terrestr.* ʒvj. *vulpin. terebinth.* ā ʒiij. *castor.* ʒij. *olei destillat. de lateribus* ʒi. *succini* ʒß. *ceræ q. s. F. linimentum molle.* Sexto die potiunculam sudoriferam & noctu granum laudani opiati mei repetiit. Septimo die electuarium nervoso generi amicum præscripsi. ℞. *conserv. flor. betonic.* ℥iß. *major. lilior. convall.* ā ℥ß. *meliss. cort. arantior. cond.* ā ʒiij. *mithrid. opt.* ʒii. *theriac. opt.* ʒi. *spec. marchion.* ℈ii. *laud. opiat. nostr. gr. vj. syr. pæon. q. s. F. electuarium, de quo ad lubitum magnitudo nucistæ sumatur.* Ab usu horum remediorum diligenti dolores mitigati sunt, quos tandem vesicatorium parti dolenti admotum sustulit. Rec. *pulv. cantharid.* ʒiß. *euphorb. sem. sinapi.* ā ℈ß. *fermenti & aceti* ā *q. s. F. s. a. vesicatorium.* Ad recidivam præcavendam fonticulus in pede dextro inustus fuit, nec non vere & autumno sequentem potiunculam purgantem clystere præmisso usurpavit. ℞. *radic. alth.* ℥j. *bryoniæ* ℥ß. *herb. betonic. malv. chamædr. chamæpith. meliß.* ā Mj. *semin. lini* ℥ß. *anis.* ʒii. *coq. in aq. font. q. s. in colat.* ℥x. *solv. mell. rorismar.* ℥ii. *elect. lenitiv.* ℥j. *hier. picr. Logad.* ℥ß. *F. clyster.* ℞. *syr. ros. sol. compos. ex infus. senæ, agaric. & rhabarb. in exercitat. de apoplex.* §. *XI. propos.* ℥iß *elect. de succo rosar.* ʒij. *aq. betonic. q. s. F. potiuncula purgans.*

Inde ad hunc usque diem ab omni dolore coxendico liber vivit.

OBSER-



OBSERVATIO C.

Rarus Pulmonis affectus.

SErenissimus & Celsissimus Princeps CAROLVS FRIDERICVS MARCHIO BADENSIS ET HOCHBERGENSIS, &c. Dominus meus clementissimus, mense præteriti anni novembri *Basileam* appulit, ut propter periculosum affectum se curæ meæ concrederet. Ex mandato Principis ad consultationem vocatus fuit Medicus excellentissimus, *Dn. Johannes Jacobus Wepferus*, qui posteaquam de Celsitudinis suæ affectu mecum candidè & amicè contulisset, animum nostrum induximus, historiam morbi consilio medico includere, quod à nobis humiliter oblatum vultu sereno accepit Princeps togâ & sago supra ætatem commendatissimus,

Stirpis grande decus columen præ-
lustre Badensis,
Deliciæ invicti Cæsaris, Orbis
amor.

R Affectus

AFfectus, de quo Serenissimus Princeps præcipuè conqueritur, est dyspnœa quædam cum molestissimâ tussi, quæ tum inprimis evenit, quando corpus aliquot passibus ambulando & acclivia scandendo movetur. Causa hujus mali proxima, seu morbus à quo pendet, tum nomen affectui impertiet, tum omnem curam & sollicitudinem Medicorum ad se trahet. Quoniam habitus corporis apud Serenissimum Principem consumitur, pulsus frequentior & celerior est, nec non manifestè purulentâ tussi ejiciuntur, supervacuum erit inquirere, num tubercula cruda vel lapilli in pulmonibus? anne verò catarrhi ad bronchia ruentes hujus mali Autores forent? quamvis fortè negari non possit, tubercula cruda hanc calamitatem præcessisse, & nunc catarrhos purulentæ per tussim ejectioni accedere, sæpe enim pauxillum puris, multo sputo pituitoso pellucido involutum, conspicitur, imò his diebus vidimus uvulam elongatam, & fauces rubicundas à sero acri, hæc loca alluente & exasperante. Potiùs operæ pretium erit indagare, unde pus hoc proveniat, an ab empyemate? num à vomicâ pulmonum peculiari folliculo vestita? an verò à substantiâ eorundem primùm induratâ & tandem suppuratâ? Empyematis latentis suspicionem movere posset pleuritis Serenissimum Principem mense Augusto *Anni* CIↃ IↃC LXXIII. affligens, quæ nec sputi ejectione, nec sudore, nec aliter judicabatur, nam ab illo tempore tussis & dyspnœa inceperunt, magis magisque increverunt & hucusque perdurârunt. Verùm licet hæc indicia suspicio-

ſuſpicionem empyematis probabilem reddant, neutiquam tamen illud evincunt; nam Sereniſſimus Princeps à menſe Auguſto prædicti anni uſque ad principium Aprilis *Anni* CIↃ IↃC LXXV. obambulavit, equitavit, caſtra ſequutus eſt & præliis interfuit, imò utcunque dyſpnœa cum tuſſi poſt motum moleſtaret, illa tamen protinus ceſſavit, quando humi decubuit: adde quòd in pectore nullus unquam tumor apparuerit, & utrique lateri ſitu etiam pumili incumbere valuerit, quæ tum præſtare tanto temporis intervallo impoſſibile fuiſſet, quamprimum enim pus in cavitatem pectoris ex abſceſſu rupto ſtillare incipit, indies augetur, & ſæpe brevi ad inſignem copiam cumulatur, niſi exitus alicubi pateat, nam à congeſtâ puris colluvie pulmonum diſtenſio impeditur & diaphragma deprimitur, unde ſumma reſpirandi difficultas vel orthopnœa ſubſequitur, & ſæpe in pectore, ubi empyema eſt, tumor excitatur. Vomicam apud Sereniſſimum Principem intra pulmones potiùs latuiſſe, multa ſunt, quæ fidem indubiam faciunt, nam à Septembri prædicti anni uſque ad Aprilem *anni* CIↃ IↃC LXXV. ſemper difficulter poſt motum reſpiravit, & quamvis multum ac vehementer tuſſiret, ne guttulam quidem puris ejecit, quod ſignum erat tum obſtaculi cujuſdem in pulmonibus, ob quod uſu reſpirationis à motu aucto non ſufficiens aër pulmones ſubire potuit, tum alicujus irritaminis ad tuſſim inanem impellentis, hoc autem omnino vomicam fuiſſe inde manifeſtum evaſit, poſteaquam Sereniſſimus Princeps thermas *Aquiſgranenſes* prædicto menſe Aprili bibe-

R 2 rein-

re incepit, nam vomicâ hac per aquam calidam, atomis sulphureis imbutam, copiosiùs haustam, emollitâ, atq; post in itinere ruptâ, pus tam copiosè & affatim exspuit, ut uno atque altero quasi rivulo propulso protinus novum puris effluvium è pulmonum bronchiis fauces impleret, illudque sine magna tussi vel leviculo impulsu aut simplici screatu ejiceret. Insuper Serenissimus Princeps vomicâ hac maximam partem depletâ nondum finitâ curâ facilimè respiravit, adeo ut scalam concitato cursu scandere valuerit, quod ad hunc usque diem nondum licuit, unde firmiter credit, si post potum aquarum quieti vacasset, aut aliter valetudini suæ consuluisset, quin integram sanitatem recuperasset. Vomicæ exordium præcipuè adscribi potest potui frigidę, æstuante corpore, cui Serenissimus Princeps nimiùm indulsit: nam à potu frigidæ superfluo sanguis subitò coagulatur, unde portiuncula sanguinis grumosi intra vesiculas pulmonum subsistit: adde, quòd natura sanguinem coagulatum & grumosum præsertim in partibus principibus peculiari folliculo quasi circumvallare soleat, ne gravius damnum inferat, interim cum iste sanguis non moveatur, ille in pus convertitur, quod sensim augetur; cùm autem folliculi vasis peculiaribus dotentur, ex illis perpetim aliquid stillat, ut ex indole omnium tumorum cum folliculis constat, qui sæpe à minutissimis exordiis ad insignem magnitudinem excrescunt. An verò à mense Aprilis *Anni* cIɔ Iɔc LXXV. usque ad diem quintum Novembris substantia pulmonum indurata & cavernosa seu sinuosa evaserit? vel ut uno

verbo

verbo dicamus, num pulmones cum labiis duris exulcerati sint? indagationem seriam postulat, atque in hujus notitiâ rei cardo verti videtur. Tale vitium pulmonibus inesse minantur dyspnœa post absolutum thermarum potum rediens, tussis vehementissima, veri puris ejectio, febris lenta pulsu se prodens, habitus macilentus, & lassitudo spontanea universalis: confirmant idem compages corporis valde gracilis, scapulæ alarum instar prominulæ, proclivitas ad febres intermittentes, continuas & malignas, quarum omnium vehementiam non semel Serenissimus Princeps expertus est. Licet autem talis in pulmonibus labes adsit, illa tamen nondum magna observatur, nam Celsissimus Princeps placidè dormit citra ullum stertorem aut sibilum inter respirandum, pumili situ utrique lateri pro lubitu incumbit, expergefactus manè parùm puris absque labore excernit, nec ad copiosiorem ejectionem post somnum stimulatur, quod aliâs phthisicis solenne est, postquam scilicet somni indultu aliquandiu à tussiendo quieverunt: insuper color faciei vividus est, benè appetit, non sitit, nec sudat, urina prorsus naturalis est cum laudabili sedimento, habitus non valde emaciatus, cutis nondum squalida & scabra, nec capilli defluunt vel à pastu corpus æstuat. Quæ cùm ita sint, apud Serenissimum Principem ulcus detergendum ac consolidandum, & quoniam à pure inquinamenta sanguini immiscentur, quæ febrim consumentem efficiunt, ipsis occurrendum & tabes diligenter præcavenda erit. His indicationibus, DEO benedicente, congruis auxiliorum remediis satisfieri

poſſe ſpem faciunt ætas juvenilis, temperantiæ amor, qui à primis unguiculis aquæ potum perſuaſit, omnesque animi motus ita compoſiti, ut nunquam nimii ſint, & labes pulmonum nondum ad ſupremum gradum deducta: quomodo autem ſingulis ſatisfaciendum ſit, ſequens methodus docebit. Manè horâ ſextâ detur remedium ulceri detergendo & conſolidando conveniens, præſcripta nempe aqua & electuarium antiphthiſicum [Formula aquæ antiphthiſicæ ſequens eſt ℞. *radit. irios florentin.* ℥ß. *enulæ* ʒij. *herb. ſcabioſ. pulmonar. veronic. bellid. minor. heder. terreſtr. farfar. betonic. auriculæ-mur. hepatic. nobil* ā Mij. *flor. bellidis minor.* 4. *cordial. pœon. papav. rhead.* ā Piiij. *ſem. aniſi, fœnic. urticæ* ā ʒij. *cinamom. elect.* ℥iß. *caryophyll* ʒij. *macis, nuciſt.* ā ʒj. *hepar, cor & pulmonem cervinum & vitulinum recens, ſpec. diatrionſantal.* ʒij. *diambr. diamoſch. aromat. roſ.* ā ʒj. *ſantal. citrin.* ℥j. *vini albi* ℔ vj. *aq. ſcabioſ. farfar.* ā ℔ij. *cichor. papav. rhead. ceraſor. nigror.* ā ℔j. *Deſtillentur s. a. Doſis ſunt quatuor aut ſex cochlearia plena pro lubitu.* Formula electuarii anti-phthiſici talis eſt. ℞. *radic. liquir. raſ.* ℥ß. *tuſſilagin. irid florent.* ā ʒij. *herb. ſcabioſ. pulmonar. farfar. bellid. min.* ā Mj. *inciſa coq. in aq. ſcabioſ. farfar. ad* ℔j. *decoctum coletur atq; clarificetur, adde ſacch. opt. q. s. denuo coq. ad conſiſtentiam ſyrupi, cui admiſce pulmon. vulp. præpar.* ℥iß. *hepat. vulp. præpar.* ℥ß. *pulver. anonym. Auguſtar.* ʒiß. *ſpec. diatrag. frig. diair. ſimplic.* ā ʒj. *diatrionſantal. diamargar. frig.* ā ʒß. *confect. alkerm.* ℥ß. *hyacinth.* ʒij. *ol. aniſi* ℈j. *ſyr. papav. alb. farfar. alth. Fern.* ā *q. s. F. electuarium, de quo ad beneplacitum magnitudo nucis moſchatæ uſurpetur.* Alii remedia ex ligno guajaco & ſulphure parata ex arte commendant, verùm illa Sereniſſimi Principis

cipis temperamento calido & ſicco non convenient. Decocta antiphthiſica, qualiacunque fuerint, maturè ventriculus faſtidiet. Opiatæ ex conſervis ignaviores ſunt, quam ut poſſint prædictis indicationibus ſatisfacere. Quid de conſervâ roſarum rubrarum nonnullis decantatâ, Vir experientiſſimus, *Franciſcus de le Boe Sylvius* judicet, illum ex *lib. IV. prax. med. tract. IV.* audiamus. Cæterùm ad mundati ulceris conſolidationem ſolent commendari roſæ rubræ atque ex ipſis parata conſerva, cujus effectum magnum hactenus non vidi, quoniam ubi copiâ majore ſumitur, quod ejus Laudatores præcipiunt, ventriculus & inteſtina multo phlegmate replentur, unde non ſaltem appetitus profternitur, ſed & chylificatio læditur, imò non ſemel moleſtum frigus in ventriculi regione oboritur, à quo vix aliquot menſium ſpacio ægri liberantur, uti hoc aliquoties obſervavi. Omnibus iſtis remediis præferimus pulverem anti-hecticum *Poterij*, qui legitimè præparatus & ulceri & febri egregiè reſiſtit, cujus grana undecim aut tredecim in aquâ ſcabioſæ concedantur. Sumpto hoc pulvere aqua antiphthiſica uſurpetur: hiſce medicamentis iterum indormiſcere poteſt Sereniſſimus Princeps. Manè horâ octavâ & veſperi horâ quartâ aſſumat duo vel tria cochlearia ſequentis gelatinæ. ℞. *raſur.* C. C. *non uſti* ℥iiii. *affund. aq. font.* ℔ *iiij. ſtent benè cooperta in digeſtione in loco calido horis viginti quatuor, poſtea adde radic. tuſſilagin.* ℥ß. *flor. bellid. minor.* M*ij.* (*ſi recentes haberi poſſint, efficacius evaderet medicamentum*) *herb. endiv. recent. alchymill. ſanicul.* ā P*i. paſſular. major. exacinat.* ℥iii. *coq. lento igne paulum ultra remanentiam medietatis,*

colaturæ fortiter expressa & adhuc colenti misce confect. alkerm. ℨij. indantur fictili & serventur in loco frigido. Gelatinæ superbibat jusculum alteratum, aut quod ventriculo gratius foret, gelatinæ cochlearia aliquot immisceantur jusculo alterato, quod ex herbâ endiviæ & floribus bellidis minoris recentibus paretur. Interdiu subinde electuarium antiphthisum & tussi urgente rotulas sequentes usurpet. ℞. *spec. diatragac. frigid. ℨij. diairios simplic. ℨj. boli armen. ver. ℨß. pulver. anti-hectici Poterij ℨj. confect. alkerm. ℨij. facch. opt. aq. scabios. solut. ℥iiij. F. s. a. rotulæ pro beneplacito sumendæ.* Ne molesta tussis somnum interrumpat & pulmones nimiùm concutiat, interdum tempore decubitus emulsio præscribatur. ℞. *amygdal. dul. recent. excortic. ℨij. papaver. alb. ℨiß. aq. scabios. farfar. ā ℥j. facchar. rosat. tab. ℨj. F. emulsio.* vel quandoque grana tria pilularum de cynoglosso *Benedicti Faventini* aut *Johannis Zwelferi* concedantur. Purgantia in hoc morbo penitus proscribenda sunt, hoc vel sola diarrhæa sponte nonnunquam superveniens & plerumque lethalis docet: Imò observavimus, nonnullos ab usu purgantium subitò enecatos & alios in phthisin immedicabilem præcipitatos fuisse. Chirurgicorum auxiliorum nullum hoc tempore adhibendum novimus præter fonticulum, cujus tamen excitationem nec brachia nec pedes macilenti facilè admittent. Diæta accuratissima, sine quâ omnia medicamenta frustranea sunt, diu exactè observanda erit. Aer sit temperatus ad caliditatem magis vergens; nam frigidus & humidus admodum nocet, cùm iste omnibus ulceri-

ceribus, imprimis autem pulmonum damnosus sit. Serenissimus Princeps vescatur cibis boni succi & facilis digestionis, nempe carnibus vitulinis, agninis, vervecinis, ferinis junioribus, pullonum, aviculis montanis, piscibus carnem friabilem habentibus, ovis sorbilibus, oryzâ cum lacte aut jusculo carnis coctâ & hordei cremore, nec penitus denegandi fructus cocti scilicet prunorum, pruneolorum, pomorum, pyrorum, passulæ majores & minores, nisi diarrhœa adsit. Pro potu ordinario sequens decoctum bibat: ℞. *radic. chinæ recent. ℥ij. aq. font. ℔ij coq. par. in colat. sol. syr. violar. purpur. ℥iiij. papav. rhead. ℥ij. spir. sulphur. ℈j. misce.* Parcior cœna lautiori præstat. Somnus pomeridianus declinandus est. Conducit in hoc affectu alvum adstrictiorem quàm fluidiorem esse, si diarrhœa invalescat, emulsio amygdalina cum decocto C. C. usti paretur. Num potus thermarum *Aquisgranensium* tempore verno repetendus sit? ambigimus; licet enim thermæ istæ potenter detergant & ulcera interna emundent, atque hoc nomine forsan phlegmaticis naturis prosint, nihilominus illas ob temperamentum Serenissimi Principis calidum ac siccum & febrem lentam gliscentem suadere vix audemus.

Consultatum *Basileæ die V. Novembris A. S. clↃ IↃc LXXV.*

POsteaquam Serenissimus Princeps per aliquot septimanas nominatis in præcedenti consilio remediis cum manifesto emolumento usus fuisset, mihi demandavit, ut de valetudinis suæ statu & medicamentorum effectu *Dn. D. Wepferum* certiorem reddam, quod sequenti epistolâ à me præstitum est.



S. P. Amplissime & Excellentissime Domine,

UNanimi consensu inchoata cum Serenissimo Principe medendi methodus feliciter succedere videtur, nam febris lenta hecticæ prodromus decrementum sumit, tussis molesta imminuitur, materia per exscreationem ejecta rarò purulenta observatur, per duas noctes cum levamine nihil exscreavit, blandè dormit, benè appetit ac concoquit, & urina semper laudabilis conspicitur, imò in brachiis carnem generari nuper advertimus. Ob metum diarrhœæ per aliquot dies ab usu diaphoretici Jovialis sive pulveris antihectici *Poterij* nobis abstinendum erat, hodiè verò illum rursus usurpavit. Aquâ & electuario anti-phthisico, gelatinâ cervinâ & exactâ diætâ aliisque in consilio nostro præscriptis Serenissimus Princeps diligenter utitur. Unde si felix iste remediorum suc-

ſucceſſus, DEO Medico Opt. Max. favente, per aliquot menſes porrò continuet, niſique imperſcrutabile pulmonum ſublateat malum, quotidie meliora ſperamus. Interim nullus dubito, quin poſt diſceſſum (cognita enim eſt Sereniſſimo Principi ſollicitudo Tua in reſtituendâ ſuâ valetudine ſecundâ) ingenii Tui acies perſpicua adhuc alias remediorum formulas ſuppeditarit, quas ut nobis communicare velis, officiosè precor. Supremum Numen publico artis Medicæ bono & multorum ægrotorum ſolatio ad plurimos annos Te incolumem ſervet! *Baſileæ XXII. Novembr. cIↃ IↃcLXXV.*

Celeberrimi Nominis Tui

Cultor officioſiſſimus

BERNHARDUS VERZASCHA.



EPISTOLA PRIMA

DN. D. WEPFERI.

Salve plurimùm Cl. Domine.



PLurima in literis Tuis occurrunt, quæ optima quæque de valetudine Sereniſſimi Principis in integrum reditura pollicentur, plenius apud me gaudium evaderet, ſi quoq;

acli-

acclivia ſcandentem faciliùs reſpirare intelligerem; hac enim ratione perſuaderer, nullum imperſcrutabile vitium in pulmonibus latere. Pulvis anti-hecticus *Poterij* aliàs alvum non movet, nam nitrum crebris lotionibus ita ſublatum fuit, ut ne minimus ſtimulus in ipſo ſupereſſe poſſit, imò aliquibus magis alvum ſuppreſſit quàm movit. Diarrhœa iſta aliud principium agnoſcet, nam dum aderam, nondum exhibito pulvere antihectico moleſta erat: Si illa fortè rediret, ſpeciebus ut ita loquar, ex quibus gelatina C. C. paratur, drachma una ichtiocollæ addatur, hâc ſæpius utor, quando fluxum aliquem colliquativum timeo, qui non raro phthiſicis cum magnâ virium jacturâ ſupervenit. In methodo noſtrâ nihil hac vice immutandum, nec Sereniſſimum Principem aliis medicamentis onerandum exiſtimo, cum illa hactenus votis noſtris reſponderint: pertinaci proficuorum continuatione ſemper plus præſtatur quàm alternatione incertâ & dubiâ plerumque non ſine ægrorum tædio. Quidam deprædicant medicamenta ex ſulphure parata, nempe flores ſimplices & compoſitos, lac & balſamum ſulphuris, at hæc pluribus malè ceſſiſſe novi, quod etiam *Hœchſtetterus* in obſervationibus ſuis factum memorat. Dum hæc ſcribo, à Sacerdote quodam literas accipio, qui refert, ſe ex deſperatione quadam nunc uti balſamo ſulphuris, dum cætera medicamenta in phthiſi inveterata ignaviora experiatur; verùm exiguo cum emolumento, nam addit, ſibi inde fauces exareſcere ac deglutionem difficilem fieri. Novi

quen-

quendam Phthiſicum, cui fauces antea profundè ad gulam uſque à tuſſis violentiâ excoriatæ e-rant, brevi ita ab uſu lactis ſulphuris eroſas fuiſ-ſe, ut vitio ad gulam pertingente ipſa quoque in aſperam arteriam ſub larynge pervia redderetur, unde paulo poſt ab aſſumptis æger ſuffocatus fuerit. Laudant alii pilulas ex terebinthina, maſtiche & ſucco ſeu potius gummi ligni guajaci omni ſpiritus vini nidore crebrâ frigidæ loturâ ſublato concinnatas; verùm & has Sereniſſimo Principi nimiùm ſiccando nocituras crediderim, hoc nomine nec methodus *Freitagij* locum haberet, qui cum *Arcæo* decoctum Guajaci laudat: Si alia facies morbi fortè alia auxilia poſtulaverit, non deero, & quæcunq; excogitare potero, lubenter ſubminiſtrabo. Lactis uſum inprimis muliebris diu animo volutavi, procul dubio ceu analepticum ſuo tempore multum præſtabit: Interea cum illis, quæ ulcus detergunt & conſolidant, ſtrenuè pergemus, eòque magis quia jam ſine fructu lac caprinum bibit, & hac vice hujus generis remedia præcipuè neceſſaria ſunt. Morbi diuturnitas longiorem medicamentorum unius generis uſum nobis imperare videtur, maximè cùm opem manifeſtam afferant: ſi verò tibi alia ſuccurrent, quæ congrua putaveris, illis lubens meum calculum addam, nec laudabiliter inventa moroſè improbabo, perſuaſus à probi & Chriſtiani Medici candore alieniſſimum eſſe, ſua tantùm obtrudere velle, & ſolùm illud bonum credere, quod vel *Pernelius* vel alius pridem ſtatuit; quaſi hactenus nihil ſalutiferi Medicinæ acceſ-

accesserit, omnisque sapientia hisce scriniis conclusa esset. Vale & Fave. Scriptum *Scaphusij die XXX. Novembr. A. S. cIↃ IↃ LXXV.*

E. T.

Cultori devotissimo

JOHANNI JACOBO WEPFERO.

RESPONSUM ad hanc Epistolam.

S. P. Amplissime & Excellentissime Domine,

POst transmissam nuper die Veneris epistolam statim subsequente Sabbathi die Serenissimum Principem catarrhus corripuit, unde majori cum difficultate respiravit, molestiùs tussivit, copiosiùs sed sine ullâ notabili puris quantitate excreavit, & aliquoties capite doluit. Hæc omnia animum meum vehementer discruciarent, nisi apud nos isto tempore hyemali catarrhi essent malum epidemicum, quod ferè nulli familiæ parcit, etiamque puerperas lecto decumbentes corripit, uti & hoc Serenissima Princeps experitur. Potiorem causam catarrhi hujus epidemici adscribo maximæ aeris anomaliæ, qualem

qualem ullâ hyeme nunquam observavi. Erigit animum meum, quòd prædicta symptomata remittere incipiant, ad quorum sublationem, quoniam remedia in nostro consilio notata sufficiunt, nulla alia præscripsi. Cæterùm lubens sententiæ Tuæ subscribo, gaudium nempe nostrum plenius evasurum, si Æger acclivia scandens faciliùs respiraret. Pulverem anti-hecticum *Poterii* alvum movisse inde collegi, quoniam post usum illius semper spacio viginti quatuor horarum quater dejecit, & excrementa aluina simili colore tincta apparuerunt, econtra quando pulverem istum non usurpavit, saltem bis eodem temporis spacio alvum reddidit, excretaq; alium colorem exhibuerunt: nullus dubito, quin nitrum crebris lotionibus in pulvere anti-hectico *Poterii* ita sublatum fuerit, ut ne minimus stimulus in illo superesse potuerit, nam si in isto pulvere ulla vis purgatrix sublateat, illam non in nitro sed in antimonio quærerem, quippe multi-variâ experientiâ compertum est, antimonium diaphoreticum & bezoardicum minerale etiam ab experientissimâ manu elaboratum aliquando unà cum sudoribus alvum movere, præsertim si illa corporibus cacochymicis concedantur: verum est, nondum exhibito pulvere anti-hectico *Poterii* diarrhœam Serenissimo Principi molestam fuisse, hinc iniqvus essem, si illius causam soli huic pulveri adscriberem, quem Princeps porrò diligenter usurpabit: contra diarrhœam bibit emulsionem amygdalinam cum decocto C. C. paratam, si illa rursus minetur, ichthiocollam spe-

ſpeciebus cervinæ gelatinæ addemus, nam fluxui colliquativo nobis omni arte præveniendum erit. Addo calculum meum in methodo noſtra nihil hac vice immutandum, nec Sereniſſimum Principem aliis medicamentis onerandum eſſe, cùm illa hactenus votis noſtris ſatisfecerint; hinc candidè & eruditè in Tuis mones, pertinaci proficuorum medicamentorum continuatione in hoc affectu ſemper plus præſtari quàm alternatione incertâ & dubiâ, imò longiorem morbi diuturnitatem remediorum unius generis uſum nobis imperare. Interim niſi calidum & ſiccum Sereniſſimi Principis temperamentum mihi obſtaculum poneret, illi tractu temporis medicamina ex ſulphure & guaiaco compoſita tutò concederem; iſta enim phthiſicis temperamento frigido & humido præditis magnum emolumentum attuliſſe, propriâ experientiâ edoctus ſum. Adhuc apud nos in vivis eſt Coriarius, qui ante quindecim annos phthiſi laboravit, & multivariis remediis *Galenicis* fruſtra uſus fuit, hunc ſolo balſamo ſulphuris aniſato, ac elixire proprietatis *Paracelſi* alternatim pro lubitu ad guttulas decem in vino albo ſumptis, ſecundæ valetudini reſtitui: de utroque eleganter differit *Franciſcus de le Boe Sylvius lib. IV. prax. med. tract. IV. §. 186. & 211.* nullum hactenus reperi medicamentum, quod vel externè vel internè uſurpatum citiùs tutiùſque mundaverit & conſolidaverit recentia ulcera atque balſamum ſulphuris aniſatum, dummodo ægri eo uti potuerint & voluerint. Cùm elixir proprietatis *Paracelſi* conſtet myrrhâ, croco & aloe cum ſul-

ſulphuris oleo per campanam parato & ſpiritu vini ſimul digeſtis, illud myrrhæ & croci nomine convenit tuſſi, aloe autem humorem pituitoſum incidit, blandè educit, pus attenuat, ulcus mundat ac conſolidat, unde in phthiſi remedium convenientiſſimum meritò celebratur. Ante decem annos alium Civem noſtrum ſimili temperamento præditum, qui contra phthiſin plurima remedia incaſſum uſurpavit, cum decocto guaiaci è faucibus mortis liberavi. *℞. Lign. guaiac. ℥iiij. radic. ſarſaparill. lign. ſaſſafr. ā ℥ß. paſſul. minor. ℥j. liquir. raſ. ʒij. ſem. aniſi ʒiß. coq. in aq. fontan. ℔xvj. ad remanent. ℔xij. vaſe benè clauſo colatura detur ad uſum.* Bibit hoc decoctum pro potu ordinario per tres menſes, inde ab omni tuſſi ac puris ejectione liber adhuc hodie vivit, & apud Inſtitores Scribæ ordinarii officio fungitur. Verùm hæc medicamenta calidum & ſiccum Sereniſſimi Principis temperamentum non admittit. Per omnia amicitiæ noſtræ jura Te precor, ut curam lactis muliebris, num Principi conducat, acerrimi judicii Tui indagine examinare, & de illâ mentem Tuam nobis aperire velis. Interea candorem Tuum ingenuum exoſculor, quòd à Chriſtiani Medici fide alienum eſſe exiſtimes, ſuperciliοſo præjudicio aſſerere, univerſam ſcientiam Medicam in *Hippocratis* & *Galeni* ſcriptis inprimiſque *Fernelij* ſcriniis concluſam eſſe. Ego antiquam veterum Medicorum autoritatem, quam in jacendis Medicinæ fundamentis immortali nominis gloriâ impetrarunt, ſemper in magno precio habui: interim homines fuerant, & hu-

mani à se nihil alienum putarunt, unde ipsemet *Galenus lib. II. de compositione medicamentor. secundùm loc. cap. IIX.* rotundè fatetur. Μέγιστον τοῦτ' ἐστι τοῖς ἐκμαθεῖν ἀληθῶς βουλομένοις ἣν τινα οὖν τέχνην λογικὴν, ὅταν γε καὶ πεφυκότες ὦσιν ἀγχίνοιοί τε καὶ γεγυμνασμένοι κατὰ τὴν τῶν παίδων ἡλικίαν ἐν τοῖς πρώτοις μαθήμασιν, οἱ πολλοὶ δὲ τῶν τὰς τοιαύτας τέχνας μεταχειριζομένων, οὐ γενέσθαι σοφοὶ κατ' αὐτάς, ἀλλὰ τοῖς πολλοῖς φαίνεσθαι τοιοῦτοι σπουδάζουσιν· Ἀρχιγένης εἴπερ τις καὶ ἄλλος ἐκμαθεῖν οὕτω τὰ κατὰ τὴν ἰατρικὴν θεωρίαν, σπουδάσας, εἰκότως ἀξιόλογα συγγράμματα πάμπολλα κατέλιπεν, οὐ μὴν ἐν ἅπασί γε οἷς εἶπεν ἄμεμπτος εἶναί μοι φαίνεται, ἀλλ' ὥσπερ αὐτὸς ὑφ' ὧν ἀνδρῶν ὠφεληθεὶς ἄριστος ἐγένετο, τούτων ἐλέγχει πολλά, οὕτω καὶ αὐτὸν εἰκός ἐστιν, ἁμαρτάνοντα, πρὸς ἡμῶν τῶν μετ' αὐτὸν γεγονότων ἐξελέγχεσθαι· Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίνοντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψοντα. *Maximum hoc censeri debet, his, qui artem quamcunque tandem rationalem ediscere ritè volunt., quum naturâ apti ad eam fuerint, ingeniosi & à puero disciplinis eruditi. Pleriq; autem, qui ejusmodi artes tractant, non ut ipsi sapientes in his evadant, sed ut vulgo tales videantur, studio habent. At verò* Archigenes *ut si quis alius, quæ ad medicam speculationem attinent, diligenter ediscere studuit, atq; ob id meritò scripta quàm plurima memorabilia reliquit, non tamen in omnibus, quæ tradidit, irreprehensibilis mihi videtur, verùm velut ipse pleraq; eorum virorum, à quibus adjutus optimus evasit, reprehendit, sic par est ipsum delinquentem à nobis posteris redargui. Difficile enim est, ut qui homo sit, non in multis peccet, quædam videlicet penitus ignorando, quædam verò malè judicando, & quædam tandem negligentiùs scriptis tradendo.* Unicum adhuc de *Fernelio* monendum censeo, nonnullos novo paradoxorum callopismate lapsus *Fernelianos* oblinire: præclarum scilicet inventum, quò Magistrum decorant egregii

Vindi-

Vindices! Vale Vir amplissime feliciter & amare porrò perge.

Basil. III. Decembr.
A. S. CIↃ IↃC LXXV.

Excellentissimi Nominis Tui

Cultorem addictissimum

BERNHARDUM VERZASCHAM.



Secunda DN. D. WEPFERI epistola.

Salve plurimùm Cl. Domine.

Catarrhos ab anomaliâ aeris ubique locorum plurimis infestos esse undiquaque auditur. Symptomata remittentia apud Serenissimum Principem bona quæque prænuntiant, eòque magis, quia sputum tussi molestissimâ copiosè rejectum purulenti inquinamenti expers erat. Majus gaudium evaderet, si intellexero, respirationem liberiorem existere. Præscriptis medicamentis aliquandiu adhuc pergendum: deterso ulcere & aliquo modo consolidato tutiùs corporis habitum reficiemus, & tunc in-

primis lactis potus commodissimus erit. Certè divini aliquid in lacte latet: id antehac nunquam credidissem, nisi id sensibus comperiissem apud illos, quibus ad podagræ truculentiam mitigandam & tandem eliminandam illud suasi. Vidi his meis oculis, quasi novos homines inde factos fuisse; nam legitimo ejus usu habitum firmiorem, colorem nitidiorem & vires robustiores plurimi acquisiverunt, quin etiam ab illo Symptomata hypochondriaca & nephritis auferebantur, quod quibusdam incredibile videbitur. Exempla hujus rei aliquot viva sistere possem. Id tamen in curâ hac summopere cavendum, ne lac in grumos aut bilem convertatur, quod haud difficulter apud Serenissimum Principem præstabitur. An lactis muliebris suctio persuaderi possit? valde dubito, cùm se cœlibi vitæ devoverit; nec fortè omnino necessarium erit, quum idem effectus à lacte caprino aut asinino impetrari queant. Cras Deo volente *Altorfium* apud *Uranios* proficiscar & vix ante quatuordecim dies domum redibo. Vale & Serenissimo Principi me humiliter commenda. *Scaphusii die VI. Decembr. A.S. CIↃ IↃC LXXV.*

E. T.

sincerus Cultor

JOHANNES JACOBUS WEPFERUS.

RE-



RESPONSUM ad hanc Epiſtolam.

S.P. Ampliſſime & Excellentiſſime Domine,

BOno cum DEO Te feliciter domum rediiſſe ſpero. Interim quatuordecim dierum ſpacio aliquoties autumavit Sereniſſimus Princeps, ſe circa horam nonam nocturnam paroxyſmo febris tertianæ corripi, hinc prædictâ horâ ſexies illum inviſi, ſed nullam febrim tertianam obſervare potui, pulſus enim rarò febrilis urinaq; ſemper laudabilis erat. Quæ per tuſſim adhuc moleſtam & exſcreationem rejicit, pauca ſunt & illis ſimilia, quorum in conſilio mentionem fecimus, imò aliquot noctes tranſegit, in quibus nihil exſcreavit. Excrementa aluina ſanorum ſimilima ſemper apparent, ſi aliquando fluida redduntur,blioſa ſed nullo chylo commixta obſervantur. Certè exactam Sereniſſimi Principis diligentiam in uſurpandis remediis, unanimi conſenſu præſcriptis, ſatis laudare nequeo, hinc mihi continuum calcar addit, ut in promovendâ illius ſanitate nulli ſtudio nullique tempori parcam. Animus eſt, Te conſentiente, ad ulceris deterſionem ac virium conſervationem, eſſentiam meam corallorum &

ambræ exhibere: essentia corallorum paratur cum spiritu foliorum quercus; ambræ autem essentiam omisso zibetho & moscho, tanquam nimiùm calidis & siccis, cum solo spiritu rosarum Pharmacopola extrahet. Quæ de usu & virtute Lactis in eruditâ Tuâ epistolâ mones, omnia mihi perplacent: an autem tempore hoc hyemali methodica cura caprini vel asinini lactis institui possit? dubius sum, cùm animalia ista convenientibus herbis recentibus nutriri nequeant. Vir summæ eruditionis & experientiæ *Dn. Fridericus Hoffmannus in Schrœderianâ clavi pharmaceuticâ p. m.* 661. omnibus lactis generibus muliebre præfert, tanquam naturæ nostræ magis familiare, præsertim si ex mammis fœminæ bono temperamento præditæ sugatur, quippe omnes indicationes ad phthisicorum curationem necessarias adimplet, nam parte suâ serosâ abstergit, caseosâ conglutinat, butyrosâ corpus nutrit & reficit, unde aliquos hujus usu restitutos se vidisse testatur *Felix Platerus tomo III. prax. medic. p. m.* 499. & ex illis unum non solùm convaluisse, sed etiam tantas recepisse vires, ut ne lac inposterum sibi deficeret, nutricem imprægnarit. Sic *Dn. Grandpresius* in observationibus *Riverio* communicatis de filio Præsidis *Gratianopolitani* refert, qui anno ætatis suæ decimo quarto *Genevâ Gratianopolim* advectus est octavo morbi mense, consumptus macie & phthisi cum alvi fluxu insigni, ita ut eum brevi moriturum Medicus Patri prædixerit propter ulcus pulmonis, cujus frustula rejecta gravissimum odorem exhalabant, anhelitusque fœtor

cada-

cadaverosus non solùm ægrotantis cubiculum sed etiam vicina loca inficiebat. Hic adolescens, posteaquam jussu Medici per duos menses lac muliebre è nutricis sanæ uberibus suxisset; etiam integræ sanitati restitutus fuit: quod remedium in pluribus aliis etiamque in semetipso, nec non duobus Nobilibus Viris tanquam præstantissimum prædictus *Dn. D. Grandpresius* expertus est. Tandem quærit Serenissimus Princeps, an chocolatâ tutò uti possit? responsum proximè exspecto & constanti pectore persevero. *Basil. XXII. Decembr. A. S. CIↃ IↃC. LXXV.*

Excellentissimi Nominis Tui

Cultor sincerus

BERNHARDUS VERZASCHA.



Tertia DN. D. WEPFERI epistola.

Salve plurimùm Cl. Domine.

SErenissimum Principem à febri tertianâ immunem esse confido, cùm hactenus nullæ febriles accessiones à te deprehensæ sint, pulsusque & urina naturaliter se habuerint:

quoniam verò in suspicionem paroxysmi febrilis venit, procul dubio aliquod symptoma passus erat, quod illam primò movit: fortè horrorem aliquem expertus fuit, qui sæpe evenit, quando pus generatur, quod in virgine nobili hoc ipso tempore animadverto; aliquot enim noctibus fermè circa horam nonam horrores perpessa est, nunc purulenta exspuit cum manifesto phthisis incremento: meliora tamen sperabo, quia pulsus est naturalis, purulenta ejectio non augetur, & Serenissimus Princeps aliquot noctes citra tussim transegit. Diarrhœæ in hoc affectu semper mihi suspectæ sunt, quas omni ingenio semper declinavi, ne in colliquativas degenerarent. Tincturam corallorum & essentiam ambræ improbare nequeo, cùm spiritus mirè reficiant, augeant & plerumque in parvâ quantitate porrigantur, quamvis spiritus, qui illarum menstrua vocantur, inflammabiles sint, utpote præviâ fermentatione parati: etiam tinctura corallorum, quæ cum spiritu ligni querni, per retortam prolicito, maximè acido & corrosivo, paratur, Serenissimo Principi non conveniet. Cui chocolatam non facilè suaserim, medicamentum aliàs mihi satis notum, quod non semel Magnatibus ipsemet propinavi, verùm plerisq; sanis, aut vix effatu dignis affectibus obnoxiis, nescio quod robur & perditarum virium instaurativum expetentibus. Cur improbem apud Serenissimum Principem, plures causas referre possum. Primùm de qualitate seu seminis aut nuclei Cacao, quod basis hujus medicamenti

con-

constituitur, Autores dissentiunt: quidam frigidum & siccum intensè dicunt ut *Antonius Colmenerus de Ledema* in libello de *chocolata Inda qualitatibus & natura cap. I.* Frigidum statuit *Franciscus Hermandez lib. III. rerum medicar. nova Hispan. p. m. 81.* Ideo hecticâ febre consumptis, tabidis atque extenuatis mirè commendat. *Paulus Zachias de affectione hypochondriaca lib. II. cap. XV.* absque dubio calidum esse affirmat, à quo non multum dissentire videtur *Caspar Caldera de Heredia tom. I. tribunal. med. tract. de potion. varietate sect. III. cap. V. p. m. 467. & seqq.* ubi prolixè de hoc medicamento differit. Deinde formulæ chocolatæ non ejusmodi sunt & fermè omnes variant. Si simplex medicamentum esset, & de cujus ingredientibus certò constaret, solidius judicium de illo ferre liceret: ajunt aliter à *Lusitanis*, aliter ab *Hispanis*, optimè à *Mexicanis* confici, sunt nunc, qui chocolatam *Francoforti* & *Amsterodami* parant: vivit apud nos Mercator, qui diu in *Hispaniâ* vixit, jactat se optimam parandi rationem nosse, nec aromata illi admisceri negare audet. Ad Venerem stimulandam nonnulli mirè commendant; meo calculo tutiùs omittitur remedium anceps, quàm si in morbo difficillimo ejus periculum fieret. Lactis muliebris suctionem neutiquam omittendam esse existimo: qualis autem nutrix seligenda & quomodo nutrienda, non necessum est pluribus exponere: illud maximè observandum, ut omnibus modis caveatur, ne lac in grumos aut bilem convertatur. Illis qui lacte vaccino contra podagram usi sunt, inprimis prohibui omnia acida, pinguia & valde

ſaccharata: fructuum horæorum uſum nocentiſſimum expertus ſum. Cœnam parcam ſemper commendavi, attentè omnes mutationes in hac curâ evenientes conſideravi, & maturè emergentibus ſymptomatibus occurri. Quoniam lactis muliebris ſuctio potiſſimùm nutritionis causâ præſcribitur, à detergentibus & conſolidantibus remediis non abſtinendum eſſe cenſeo, quamobrem ulterius Sereniſſimo Principi pulveris antihectici *Poterii*, & aquæ ac electuarii antiphthiſici continuationem perſuaderem. Si Celſitudo ſua lactis muliebris ſuctionem è mammis planè horreret, lac caprinum etiam hyeme non prorſus rejiciendum foret: podagrici mei lac ſalubrius experiuntur, quod ſuppeditant vaccæ fœno & avenâ, quàm herbis recentibus paſtæ;nam ſubinde ſuccus herbarum crudior lacti admixtus ventriculum gravat. Plura non addo. Vale & vive feliciter hoc novo ineunte anno ac plurimis ſuperventuris ad Reipublicæ veſtræ & Medicinæ incrementum, meque Sereniſſimo Principi humillimè commenda. *Scaphuſii die XXIIX. Decembr. A. S. CIↃ IↃC LXXV.*

E. T.

Cultor addictiſſimus

JOHANNES JACOBUS WEPFERUS.

RESPON-



RESPONSUM ad hanç Epiſtolam.

S. P. Ampliſſime & Excellentiſſime Domine,

MAgno cum delectamento & animi ſatietate eruditas Tuas literas legi, ſed antequam ad illas reſpondeam, neceſſarium eſſe duco, curſum morbi deſcribere, qualem poſt ultimas meas in Sereniſſimo Principe obſervavi. Decem ſunt dies elapſi, quòd Celſitudo ſua, cùm in conclavi Principis *Sybillæ* commoraretur, circa horam ſecundam pomeridianam inopinatò dolorem ferè per duas horas pungentem in parte lateris dextri paſſus fuerit, qui ex præſcripto julepo cum aquâ ſcabioſæ, farfaræ & ſyrupo papaveris rheados parato & unguento reſumptivo *Fernelii* cum ſpermate ceti mixto eadem die diſparuit: verùm tuſſis moleſtiſſima mox ſupervenit, excrementaque purulenta, compacta & ſubviridia, non ſine aliquâ virium jacturâ rejecit. Ad promovendum novæ hujus materiæ exitum ſollicitus celebriores Practicos conſului, tandemque ſyrupum pectoralem *Zvvelferi*, hederæ terreſtris *Quercetani*, de altheâ *Fernelii* & eryſimo *Lobelii* præſcripſi, ex quorum ſyruporum uſu facilimè exſpuit, unde cum illis pergendum eſſe cenſeo:

censeo: an autem nova ista materia ex nuper apertâ vomicâ vel ex collectione recenti in veteri sinu vomicæ, cùm per quatuordecim dies fere nihil exscreaverit, ortum trahat, judicio Tuo accuratiori examinandum relinquo. Cæterùm intra prædictos decem dies Serenissimus Princeps per duos dies excrementa alvi liquida, biliosa & serosa reddidit, quæ fætorem intolerabilem sparserunt, huic fluxui obviam ivi emulsione amygdalinâ cum decocto C. C. paratâ: contra omnis generis fluxus aluinos tincturâ meâ corallorum feliciter utor, paratur illa non ex spiritu ligni querni, sed ex spiritu foliorum quercus, & nequaquam corrosiva est. Cùm lactis muliebris usum Celsitudini suæ mecum consulueris, & Viri excellentissimi Domini Doctores *Closius* ac *Möglinus* calculum suum addiderint, hâc ipsâ horâ consensit Serenissimus Princeps, post octiduum à Te plenius consilium exspectans, ut methodo exactissimâ curam hanc absolvere possit. Plura addere temporis angustia non permittit. Felicia novi anni auspicia, feliciorem progressum & felicissimum egressum, cum plurimis subsequentibus annis, Tibi toto pectore reprecor. *Basil. die ultimo Dec. A. S. cIɔ Iɔc LXXV.*

E. T.

Cultor addictissimus

BERNHARDUS VERZASCHA.

Quarta



Quarta DN. D. WEPFERI epiſtola.

Salve plurimùm Cl. Domine.

SEreniſſimi Principis ſputum purulentum, fœtidum, tenaciſſimum & conſiſtentiâ prorſus compactum non nuper natum eſſe his indiciis manifeſtè apparet, quod etiam confirmat dolor punctorius ſæviſſimus excretionem præcedens; ipſe excretionis modus cum vehementiâ junctus, & debilitas illam conſequens: an verò ex vomica recenter rupta prodierit, vel in ſinu antiquo delituerit, & tuſſis violentiâ ex latibulo tali productum fuerit? certò definiri non poteſt, ex vomicâ ruptâ illud credidiſſem, ſi ſputum cruore tinctum fuiſſet, vix enim vomica eſt, cujus folliculus vaſis capillaribus non dotetur. Tincturam corallorum ſpiritu foliorum quercus extractam non rejeci, cùm inflammabilis & ſulphureus ſit, non ſalinus & acidus, utpote qui procul dubio præviâ fermentatione per veſicam, non per retortam, ut ſpiritus ligni querni acidus, prolicitur. Cæterùm cura lactis muliebris ſequente methodo inſtituenda mihi videtur. Sereniſſimus Princeps manè horâ quintâ & nonâ, veſperi autem horâ quartâ lac è mammis ad aliquam ſatietatem exſugat: poſt ſuctionem ad minimum per integram horam ab omni cibo, potu & me-

& medicamento abstineat, & se ad quietem componat: manè horâ septimâ pulverem antihecticum *Poterii* & postea aquæ anti-phthisicæ cochlearia quatuor usurpet: si tussis urgeat, tunc uti & aliis horis intermediis electuarium antiphthisicum & syrupos, quorum mentionem fecisti, lambere atque ita excretionem facilitare licet: semper tamen attendendum erit, ne lac in grumos vel bilem convertatur. Grumi innotescent ex ructibus acidis, ventriculi aggravatione, distensione, vomitu acidorum & torminibus. Bilis patefit ex oris amaritie, siti, nauseâ, ructibus nidorosis, aphthis, cardialgiâ, torminibus & diarrhœâ biliosâ. Grumis lacteis resistunt tabulæ de nuce moschata in officinis vestris consuetæ, de quibus subinde frustulum sumatur. Lacte in bilem converso concedantur juscula cum endiviâ & borragine recenti parata. Prandeat Serenissimus Princeps horâ decimâ. In prandio victus lautior concedatur, nec enim Gallis & Italis assentire possum, qui tum in hujus morbi, tum in podagræ curatione lactis beneficio ægros propemodum fame enecant. Vescatur citra scrupulum in prandio carnibus vitulinis, hœdinis, pullorum, ferinis junioribus elixis aut assis, sed nec aromatibus, vel aceto, aut succo citri conditis. Concedi etiam possent pruna *Damascena* dulcia, pruneola *Hispanica* & fercula ex passulis majoribus & minoribus, nisi diarrhœa hæc prohibeat, item pultes ex oryzâ, amygdalis, cremore hordei, & ova sorbilia, quandoque etiam pisces carnem friabilem habentes, assos tamen

potiùs

potiùs quàm elixos admitto. Pro potu ordinario usurpet decoctum radicis chinæ ordinarium. Post prandium aliquamdiu semper lentè obambulet, & somnum pomeridianum quocunque ingenio eludat. Cœnam parciorem suadeo. An circa mediam noctem Serenissimus Princeps lacte potandus sit? valde dubito: nam si nutrix noctu sæpius expergefieret, lac minus laudabile certò suppeditaret; rectiùs fortè horâ nonâ aut decimâ noctis daretur unum alterumve cochlear plenum *diacodio Montani* ad tussim mitigandam. Nutricem quòd attinet, seligenda erit sana & lacte abundans: cibetur alimentis euchymis ac eupeptis ea quantitate, quæ ad lactis quantitatem sufficit & à ventriculo superari potest. Pro potu ipsi potius vinum album tenue quàm cerevisia concedatur: quando siticulosa est, vinum diluatur decocto Principis ordinario. Forsan etiam consultum erit, si Nutrici manè & vesperi propinaretur haustus decocti cujusdam grati & traumatici, ut lac magis scopis nostris accommodum esset, vel decocti loco tragea aut electuarium quoddam pectorale concedatur: quando menstrua patitur, tragea temperata necessaria est. Ab animi pathematibus & Venere arcenda erit. Præcipuum ferè præteriissem nempe panem, tum pro Serenissimo Principe, tum pro Nutrice, conficiendus est levis, albus, bene coctus, non à fermento acidus factus: apud Illustrissimum Dominum, *Franciscum Carolum, Comitem de Furstenberg*, loco fermenti massæ panis fæcem cerevisiæ admiscendam curavi, unde etiam suavissimus evadit: dul-

ciaria

ciaria cujuscunque generis proscribenda erunt. Alia hac vice non occurrunt. Vale feliciter & Serenissimo Principi me humiliter commenda, *Scaphusii die XXIX. Januar.* A.S. cIↃ IↃc LXXVI.

E. T.

Cultor ex asse

JOHANNES JACOBUS WEPFERUS.



Prima Continuatio & Resolutio Historiæ Morbi V. E. D. D. WEPFERO Authore.

SErenissimi Principis habitum corporis macilentum, die decimo quinto Februarii, præsens observavi, non tamen multò macilentiorem quàm post abitum meum ultimum erat: ante meridiem inveni pulsum minus frequentem, celerem & durum, post pastum verò frequentem, celerem, parvum: tussis adhuc perdurat, & à pastu, corporis motu, extensione subitâ brachiorum & diutiùs continuato sermone frequen-

frequentior evenit quàm manè & noctu, nonnunquam noctu post tussim statim indormiscit, ut manè se tussivisse ignoret. Sputum crassum manè & quandoque interdiu post unum alterumve tussis actum facilè succedit, verùm si ob titillationem quandam in faucibus ad tussim irritetur, ut post pastum & sermonem accidit, diu nihil & tantùm mucus tenuis spumeus cum magnâ violentiâ exploditur. Sputum hoc crassum, quod ex pulmonibus procedit, est consistentiâ compactius, viscidum, tenax & in fila trahi potest, ac si in bronchiorum ramulis diversis portiones quædam condensatæ & deinde in cavernâ collectæ fuissent, quæ postmodum ceu in unum bolum conglobatæ ejiciuntur: colore est subviride, luridum & turbidum, non fœtet, at nescio quem dulcorem odoratui adversum spirat: hoc sputum quantitate non semper æquale existit, notavit *D. Verzascha*, illud ab aliquo tempore viginti quatuor horarum spacio *ad* ℥iij. ℥vj. ℥j. *ac* ℥iß. ejectum; & ego observavi *ad* ℥j. ultraque quotidie excretum fuisse. Quod sputum ob titillationem majore tussis violentiâ explodit, spumeum, tenuius & pellucidum est. Serenissimus Princeps etiam mucum viscidum, turbidum, crassum, album & copiosum crebrò per nares emungit ac screatu ejicit. Quando se movet, quod raò amplius fit, difficulter respirat. Ab aliquot septimanis semper in hypocausto manet, plerumque decumbit & quidem in dorsum, si in latus sinistrum recubet, magis tussire cogitur: dolet frequenter in latere

ſiniſtro maximè inter coſtam quintam & ſextam, quandoque etiam in dextro ſed parte altiore, dolor iſte ab attactu exacerbatur, quamvis locus affectus nec tumeat nec rubeſcat. Profundè dormit ad plures horas noctu & manè in multum diem, licet quandoque à tuſſi excitetur atque exſpuat, mox tamen iterum indormiſcit, ut plerumque ſe tuſſiiſſe aut exſpuiſſe manè non amplius recordaretur, niſi ſputum in vaſculo conſpiceret. Appetitus mediocris, quandoque ſatis laudabilis eſt: à cibo non gravatur, nec ſitit, ex quo lac ſugit, nunquam diarrhœam paſſus fuit. Fæces alvi ſunt compactæ, ſubfuſcæ & ſubflavæ. Urina craſſior nunc eſt quàm pridem & coloratior cum ſatis laudabili ſedimento. Sudavit nuper frequentiùs nunc autem rariùs ſine notabili virium proſternatione. Capilli planè non defluunt. Attactu non amplius tam calidus eſt quàm fuit, nihilominus calor præternaturalis adhuc circa regionem arteriæ in carpo obſervatur: die decimâ octavâ Februarii cùm noctu ob dolorem capitis inquietè dormiviſſet, manè nares ſanguinem laudatiſſimum ſtillârunt.

RESOLUTIO.

IN pulmonibus ulcus latere vix amplius dubitare ſinunt ſputum purulentum, quod tuſſi rejicitur, reſpiratio difficilis à motu quocunque, dolor lateris præcipuè ſiniſtri, decubitus

cubitus in latera maximè sinistrum difficilior, pulsus febrilis inprimis post pastum, calor circa arteriam in carpo & habitus universi corporis macilentus. Ulcus hoc sordidum esse demonstrat pus satis copiosum (nam à pluribus septimanis quotidie ejicitur *à ℥iij. ad ℥iß.* idque non rarò) turbidum, obscurum, virescens, viscidum, crassum & globosum, non quidem fœtidum at nescio quem dulcorem redolens: hoc porro confirmant respiratio difficilis post motum quemcunque, dolor usque ad costarum interstitia pertingens, qui ab attactu exacerbatur & denique febris lentæ signa. Quomodo pus in pulmonibus generetur, non fingendus est Archeus pulmonum imbecillis seu Vulcanus corruptor, ut illum vocat *Helmontius de asthmate & tussi* §. 10. aut nescio quod peregrinum fermentum alimenta depravans, cum ejus generatio commodè explicari possit, si ulcerum maximè in partibus membranosis constitutio rectè attendatur. Nimirum in ulcere pulmonum, prout etiam in aliarum partium ulceribus fieri solet, textura parenchymatis pervertitur, vesicularum, ex quibus pulmo componitur, membranæ tenuissimæ aranearum telis similes partim crassescunt & vel decuplo crassiores fiunt, partim perrumpuntur, ut ex plurimis vesiculis minutis una vel plures ampiæ cavernæ resultent: capillamenta extrema arteriolarum exeduntur & magis patula redduntur, ut plus succi nutritii in cavernas effundant: extrema venarum capillarium & vasorum lymphaticorum oscula vel obliterantur, vel non cohærent amplius

cum capillamentis vaſorum alimentum afferentium, unde ſuperfluum non reſorbetur, ſed in cavernis ſtagnat, & quoniam pars exulcerata ſemper inflammata & calore præternaturali prædita eſt, illud quod ſtagnat, facilè inſpiſſatur ac lentorem contrahit, ſimulque turbidum, ſubviride & globoſum evadit, quia diutius intra pulmones calidiores plurimoque ſanguine turgentes in cavernis detinetur, quod etiam fœteret, ſi longiore morâ his in locis ſubſiſteret. Idem quia pulmonibus moleſtum eſt, tuſſim excitat, & quoniam tum ob illius copiam & lentorem tum ob veſicularum craſſitiem & ductulos abolitos aer ſufficiens pulmones ſubintrare nequit, reſpiratio difficilior redditur, inprimis ſi uſus auctus plus aeris poſtulet. Inſuper quò pravior eſt ſuccus nutritius, eò pejus & copioſius pus producitur, pravus evadit in hoc affectu non ſolùm propter errores externos ſed etiam ob febrim lentam ſemper ejus comitem imò ab ipſo ulcere pulmonum: nam ſæpe experimur, à cancro, ſcrophulis exulceratis, pædarthrocace & aliis ulceribus chronicis ac dyſepulotis totam maſſam ſanguineam ita inquinari, ut quamvis cancer exſtirpetur & hæc ulcera conſolidentur, nihilominus alibi ulcera peſſimæ notæ aut alii graviores morbi emergant, undè quò diuturniùs pulmonum ulcus afflixerit, eò difficilius curatu redditur. Hanc ſucci nutritii depravationem ipſimet *Helmontiani* agnoſcere coguntur, dum in hoc & ſimilibus morbis aurum horizontale ſuum aliaſq; panaceas commendant, quæ ſi laudem merentur, illam

illam inde consequuntur, quia universam sanguinis massam emendant, quis enim persuadebit? hæc decantata arcana instinctu quodam ad locum affectum proficisci, & ibidem particulare hoc vitium propellere. An verò omne sputum, quod Serenissimus Princeps tussi rejicit, ex ulcere transudet, intraque illius cavitatem colligatur? dubium mihi videtur: valde probabile est, tempore somni multum ex faucibus per laryngem ad pulmones delabi, nam mucum crassum, album, turbidum, aliquando cruore mixtum Celsitudo sua tum emungit, tum screatu prolicit, & insuper profundè dormit, ut etiam exscreationis noctu factæ sæpius obliviscatur. Quia ulcus sordidum existit, & insuper tanto temporis intervallo massa sanguinea non mediocriter inquinata est, unde habitus corporis etiam in ipsa lactis cura adhuc nullum incrementum sumpsit, inde curatio difficilior redditur, ac omnino pertinacem & diuturnum medicamentorum usum ulterius requirit. Indicationes igitur erunt, totam massam sanguineam spiritibus & particulis nutritioni aptis privatam studiosè instaurandam, inquinamenta febrilia dispellenda, ulceris sordes detergendas, ipsumque ulcus ad consolidationem disponendum esse; aliquando etiam symptomatibus occurrendum, si pus ægriùs procedat, ejus excretio facilitanda, & si dolores urgeant, demulcendi sunt. Itaque Serenissimus Princeps lactis muliebris suctionem definitis horis continuet, & quò feliciùs omnia succedant, etiam alteram mammam inprimis manè exhauriat: dein

mututino tempore horâ unâ post primam suctionem ut & vesperi octo vel decem pilulas ex pulvere antihectico *Poterij* paratas usurpet, atque superbibat haustum aquæ anti-hecticæ sequentis: ℞. *pulmones vitulinos duos & hepar vitulinum unum, limaces esculentos viginti, radic. tussilagin.* ℥iiij. *enulæ, irid. florent.* ā ℥ij. *herb. recent. cochlear. numular. vinc. per vinc.* ā Miiij. *marrub. alb.* Mij. *flor. recent. bellid. min. scabios.* ā Miiij. *semin. fœnic.* ℥j. *incisis & contusis affunde sanguinem totum porcelli domestici dimidij anni, aquar. hyssop. salviæ, veronic. scabios.* ā ℔ij. *heder. terrestr. flor. acariæ* ā ℔iß. *papav. erratic.* ℔j. *stent in digest. in vase vitreo benè clausa per noctem in loco calido, postea in B. M. destillentur.* Noctu antequam indormiscat, conservam bellidis minoris solam vel cum conserva rosarum mixtam & haustum aquæ hujus anti-hecticæ usurpet. Si sputum difficulter succedat, ejus excretio adiuvetur rotulis nuper ordinatis aut hisce syrupis. ℞. *syr. flor. bellid. minor.* ℥ij. *de althea* Fernelii ℥j. *aq. fl. bellid. minor.* ℥ß. *misce.* Quando dolor in latere urget, illud unguento resumptivo *Fernelij* inungatur & sequens emplastrum imponatur. ℞. *emplastr. diachyl. simplic.* ℥j. *melilot.* ℥ß. *antimon. diaphoretic.* ʒij. *ol. amygdal. dulc. qs. F. magdaleon.* In victus ratione nuper præscripta Serenissimus Princeps pergat. Nutrici porro prospiciatur cibis euchymis & eupeptis: insuper ut lac ipsum traumaticum evadat, manè post jentaculum & vesperi horâ post suctionem uncias quatuor hujus decocti bibat. ℞. *radic. tussilagin.* ℥j. *herb. veronic. agrimon.* ā Mj. *flor. bellid. minor.* Mij. *passular. major. exacinat.* ℥j. *sem. anisi*

anisi ℥j. incisis affunde aq. fontan. ℔vj. vini alb. veter. ℔iiij. coq. par. colatura detur ad usum. Et hæc sunt, quæ hac vice notanda occurrerunt.



Secunda continuatio & resolutio Historiæ Morbi,

Eodem Autore.

SEreniſſimum Principem die decimo Maji rurſus conveni. Facies erat pallida, ſubcineritia, macilentior; labia rubicunda non tamen tam rutila ac nuper: habitus corporis tam macilentus apparuit, ut vertebræ valde prominuerint, & quemadmodum in proverbio dicitur, omnes coſtæ numerari potuerint. Pulſus fuit frequens, celer, ſubdurus, attactui renitens. Reſpiratio decubuo non difficilis, anheloſa aut intercepta eſt. In dextro latere inter coſtam quartam & quintam à contactu doluit. Tuſſiit frequenter interdiu & noctu. Sputum ejecit ab aliquot diebus copioſum ad uncias duas, eſt rotundum, turbidum, ſubflavum, ſubviride, aliquando ſubfuſcum, tenax & viſcidum, non quidem ſummopere fœtet, nihilominus tamen quendam adverſum odorem ſpirat, qui tum inprimis animadvertitur, quando repentè ex loco liberiori aeri expoſito aditur, ſæpe demum poſt

iteratos tussiendi nixus & tunc quidem pleno ore succedit. Jam ab aliquot diebus non sine molestiâ nares obstructæ erant, circa os sacrum exulceratur, perpetuò decumbit, extra lectum diu persistere nequit: quando erectus in sella sedet amplius ad tussim quàm decubuus stimulatur, appetitus ab aliquot diebus prostratus rediit, impensè non sitit, diarrhœa ab aliquot diebus valde molesta fuit, die nonâ Maji vesperi alvum exonerans ob diarrhœam propè in leipothymiam incidit: die decimâ fæces adhuc liquidæ & aliquo modo pultaceæ erant, quibus frustula alba ceu fragmenta amygdalarum contusarum immixta erant, die undecimo nunquam dejecit, die duodecimo fæces naturales compactas sed flavas absque molestia reddidit. Urina ab aliquot diebus citò turbatur, clarificata crassum sedimentum retinet, quod etiam statim post emissionem observatur, dum adhuc clara est. Ob tussis vehementiam statim post pastum invadentem nonnunquam assumpta evomuit. Sudor nocturnus aliquoties molestus fuit non sine virium dispendio: die undecimo & duodecimo Maji sudor ferè nullus apparuit, posteaquam manè & vesperi spina dorsi sequente linimento inuncta fuerit. ℞. *unguent. rosati* Mesue, *refrigerantis* Galeni *ā* ℥ß. *olei violar. q. s.* F. *linimentum.* Capillorum nullum defluvium advertitur. Naribus attracto lacte cum succo sempervivi & syrupo violarum mixto plurimum muci pellucidi è naso & faucibus prolectum fuit. Post pastum animadverti æstum pungentem præsertim in vola

vola manus. Jam diu dextro lateri soli aut dorso incumbere valet, si in sinistro cubet, magis tussire cogitur, nuper hæmorrhoidibus dolebat: duodecimo Maji toto die & noctu dolorem capitis sensit, inde decimo tertio multum sanguinis emunxit. Dum ad alvum solvendum surrexisset, ejecit citra tussim solo screatu sputum purulentum, ac si bronchia pulmonum pure plena & sursum unico hoc motu protrusum fuisset, quamvis nec vox rauca nec respiratio cum sibilo observetur, nisi sinistro lateri incumbat, totâ nocte dormivit & nihil tussi rejecit, die decimoquarto Maji demum post lactis suctionem tussire & sputum purulentum excernere cœpit, cui parùm cruoris admixtum fuit.

RESOLUTIO.

Quamvis Serenissimus Princeps à principio Martii usque ad finem Aprilis parùm & quandoque per unum alterumve diem nihil purulenti exspuerit, nihilominus tamen pus intra pectus latuisse obscurum esse non potuit, quia semper adhuc febris lenta continuavit cum totius habitûs emaciatione & imbecillitate quadam, ob quam extra lectum diu persistere nequiit. Pus tamen hoc non detinebatur in cavo pectoris, nec in ulceribus in bronchia apertis; nam post retentionem sputi à tot septimanis respiratio non difficilior reddebatur, nec cum stertore aliquo fiebat. Potiùs credibile est, vomicam

aliquam derepentè ruptam fuisse, nam copiosior rejectio puris subitò evenit cum raucedine forti & vehemente tussi: non fœtuit, quia undique membranâ coercebatur, fœtor autem non emansisset, si vi quadam detentum fuisset, & liber aeris aditus ad illud patuisset. Interea oportet labem in pulmonibus insignem esse, nam primò pus turbidum, luridum & crassum copiosè ejecit, cùm in habitu corporis emaciato laudatissimis alimentis hactenus refecto, minus rejicere deberet. Deinde febris lenta continuat, ut ex pulsu, emaciatione & languore virium apparet, ob quem extra lectum permanere nequit. Color vividus faciei magis periit, nam ferè cineritius est, & versùs livorem aliquem vergit, imò febris nuper incrementa sumpsisse videbatur, uti hoc probant sudores ferè colliquativi, diarrhœa biliosa, cui pinguedo innatavit cum urinâ tinctâ & turbidâ: fortè sudores, quæ in hoc affectu plerumque funesti sunt, adhuc continuarent, nisi illi inunctione spinæ arcerentur. Narium obstructio à muco exsiccato debetur etiam calori præternaturali, quum ille à vapore calido è pulmonibus emisso induretur. Cessante diarrhœâ ventriculus rursùm benè concoquit. Viscera sanguificantia etiam suum officium præstant, quippe sanguinem laudabilem generant, ut ex narium hæmorrhagiâ patet, quamvis negari nequeat, illum calidiorem esse. Tandem cùm omnes sensus vigeant, cerebro nulla noxa adscribenda erit. Indicationes præcipuæ sunt, pus detergendum, ulcus consolidandum, febrim imminuendam,

nuendam, nares obstructas aperiendas, sudorem impediendum, & diarrhœam coercendam esse. Serenissimus Princeps statis horis pergat lactis suctione & pilulis *Jovialibus* sive ex pulvere antihectico *Poterij* paratis cum aquâ antihecticâ, rotulis ordinariis diligenter utatur, narium mucus cum superiori linimento educatur, spina dorsi porrò inungatur, lateri dolenti emplastrum præscriptum imponatur, & diæta hactenus consueta strenuè observetur.



Tertia continuatio & resolutio Historiæ Morbi,

Eodem AUTORE.

SErenissimum Principem die decimo octavo Augusti denuo conveni, & non plus emaciatum observavi, quàm erat ultimâ vice, quâ ipsum reliqueram. Labra fuerunt rubra, pulsus frequens, celer & parvus, respiratio satis libera erat, dum decubuit, unde clarâ & masculâ voce loquebatur instar sani absque ulla raucedine: decumbere potest humiliter, non altè, faciliùs tamen in sinistrum quàm dextrum latus: sputum adhuc est turbidum, subflavum, crassum, aliquando fluidum, & nonnunquam cruore tinctum, urina habet sedimentum copiosum naturale: appetit egregiè, ut duos pullos in pastu

comedat: non multum ſitit, fauces tamen quandoque exareſcunt, quas aquæ pauxillo facilè humectat: nares obſtruuntur frequenter ab exſiccato muco, alvus non eſt fluida, corpus non ſudat. A decubitu non ampliùs excoriatur, quod inprimis emplaſtro de ſpermate ranarum præcavetur, nares nonnunquam irritatæ ſanguinem ſtillant, inſuper obſervavi, Sereniſſimum Principem largiter comedere, nam in quolibet paſtu aſſumit juſculi, contuſo carnium & pane trito impraegnati, libram dimidiam, dein edit pullum aſſum integrum, & elixum ferè totum, quandoque ſimul cancros elixos, pulpam pomorum & pyrorum paſtæ farinaceæ incluſam, placentulas & fruſtum panis quatuor unciarum pondere: bibit ſuum decoctum in paſtu mediocriter, quandoq; extra paſtum ſumit unum alterumve hauſtum: comeſta retinet, & licet ob vehementiam tuſſis quandoq; portionem evomat, illa tamen vix centeſima aſſumptorum pars eſt, eadem exactè concoquit, ut ex fæcibus & urinis laudabilibus colligitur: utcunq; autem ſtrenuè comedat, habitus tamen corporis nulla incrementa ſumit, & poſt paſtum ſemper nunc plùs nunc minùs incaleſcit. Deniq; adverti, ſpacio viginti quatuor horarum inſignem quantitatem puris in pectore cumulatam fuiſſe, quâ per validam tuſſim excretâ, nunc cum dolore lateris punctorio, nunc immixtis ſtriis cruentis induciæ concedebantur, & per horas plures etiam duodecim à tuſſi liberiùs reſpirabat, ac maſculâ, clarâ & ſonorâ voce nonnunquam etiam cum quodam impetu loquebatur, ſæpe citra ullum ad tuſſim irritamen, quod ante ſputum purulentum

reje-

rejectum non licuit; imò illo adhuc copiosiore existente animadverti levicula ex causa tussim concitare, intra asperam arteriam stridere, respirationem difficilem efficere, vocem aliquo modo raucam reddere, & si nimis fluidum sit, suffocationem intentare, inprimis paulò post pastum, quo tempore semper pus fluidius comperi, nam longiùs post pastum maximè somnum protractiorem crassum est, & uni alterive impulsui à tussi promptiùs cedit, ac sine magnâ vi portio in globum compacta expellitur.

RESOLUTIO.

EX omnibus istis satis superq; colligitur, sinus pulmonum exulceratos quotidie plurimum puris cumulare & producere tùm ex chylo recenter sanguini advecto, tum ex sanguine ipso: insuper elucescit, sputum purulentum collectum pulmonibus molestum esse, & ad tussim validè stimulare, nec quietem concedere, donec maximam partem rejectum fuerit: num autem portiones purulentæ ex sinubus pulmonum ulcerosis intra vasa sanguifera resorbeantur? valde mihi probabile videtur ex totius habitûs consumptione, incalescentiâ post pastum & virium languore, ob quem diu moram extra lectum tolerare nequit, multò minùs incedere valet: non tamen sanguini multùm de pure permisceri credibile est, cùm Serenissimus Princeps egregiè appetat, benè in ventriculo & intestinis concoquat, vegetus in lecto appareat,

pareat, & naturalia vesicæ & alvi excrementa reddat. Ad majorem puris consumptionem sæpe cochlear plenum de sequenti syrupo sumatur. ℞. *radic. tussilag. ℥j. liquir. ras. ℥ß. herb. tussilag. veronic. scabios. farfar. saniculæ, alchimill. ā Mij. bellid. minor. Miij. flor. hypericon. Mj. sem. anisi ʒiij. ficuum recent. num. xvj. passular. major. exacinat. ʒij. coq. in aq. font. q. s. cum colatura & saccharo sufficienti paretur syrupus.* Quoniam autem sputum purulentum crebro seri accessu nimis tenue evadit, & nihilominus ad excretionem irrito successu stimulat, illud necessariò inspissandum erit inprimis noctu, ne tussis irrita somnum interrumpat; unde circa horam decimam nocturnam, & quando vigiliæ molestæ sunt, cochlearia aliquot plena de sequenti syrupo usurpentur. ℞. *Diacodii* Montani *℥j. syrup. papav. alb. fl. bellid. minor. ā ℥ß. aq. lactucæ ℥j. misce.* alternis etiam noctibus pilulæ tres de cynoglosso ex correctione *Faventini* aut *Zuelferi* sumantur, insuper lactis suctione & diætâ consuetâ exactè pergendum erit. Tandem superest ardua quæstio decidenda, num liceat Serenissimo Principi *Basileâ Rheinovium* proficisci. Iter hoc summopere dissuadere videntur primùm vires maximè debiles, quas inprimis prodit difficilis tolerantia brevioris etiam moræ extra lectum, pulsus frequens, celer, parvus & habitus corporis valde attenuatus, inde ob motum & succussionem vix evitabilem spiritus magis dissiparentur, ut facile leipothymia aut ob spirituum vitalium paupertatem periculosa syncope accerseri posset: deinde magna adest in sinubus pulmonum post vomicam relictis copia puris, quæ ab eadem corporis & pectoris concussione comoveri & uno

impetu

impetu ad præcipuos bronchiorum ramos præcipitari & ſuffocationem intentare valeret: denique aër in via varius non parùm pulmones turbabit varièque ſputum immutabit, inprimis hoc tempore autumnali, in quo ſemper anomalus eſt, cùm econtra Sereniſſimus Princeps hactenus aeri ſicco phthiſicis utiliſſimo aſſueverit, adeo ut vix ſine manifeſtâ noxa toleraturus ſit aërem humidum & nebuloſum, pulmonibus aliàs aggravatis nocentiſſimum. Ne igitur in itinere Celſit. ſua graviſſimo damno obruatur, primùm opera danda erit, ut quàm minimùm ſuccutiatur, quod commodiſſimè fiet, ſi portabitur à viris robuſtis hanc demandatam provinciam alternantibꝰ: dein iter demum inſtituatur, quando aër à nebulis purus eſt, nec nimiùm fervet. ſcilicet ab horâ nonâ matutinâ antimeridianâ ad undecimam, & poſtea ab horâ ſecundâ aut tertiâ pomeridianâ ad horam quintam vel ſextam: tertiò iter non niſi comite Medico ſuſcipiendum eſt, cui in promptu ſint medicamenta ſpiritus vitales excitantia & refocillantia, nempe balſamum apoplecticum & ſpiritus ſalis armoniaci urinoſus, aut ſequens aqua & rotulæ cordiales. ℞. *aq. cardiac. offic. borrag. ſcabioſ. ā ℥ij. cinamom. ℥j. confect. alkerm. ʒiß. lapid. bezoar oriental. ℈ß. margarit. præp. ℈j. ſacch. roſ. tab. ʒij. F. aqua cardiaca.* ℞. *confect. alkerm. ʒiij. ambr. gris. cum ſpiritu roſar. ſolut. ℈ß. moſchi opt. gr. ij. margarit. præpar. ʒß. lapid. bezoar oriental. ℈j. ſacch. opt. in aq. roſar. cinam. & ſcabioſ. ſolut. ℥vj. F. s. a. rotulæ.* Si verò ſputum permoleſtum ſit, & dyſpnœam aut vehementem tuſſim excitet, ſyrupi pectorales, ſupra nominati exhibeantur, & noctu inprimis diacodium *Montani* uſurpetur.

Quartò

tavit viam suam proximè *Rheinovium* ingredi; sed præpotens *Jehova statuit gressum ejus*: cùm enim quinto Octobris die circa horam tertiam matutinam irritus tussiendi conatus longum durasset, è rupto vase pulmonico inopinata lethalis hæmorrhagia successit, quippe uncias duas sanguinis floridi & spumosi per pulmonis fistulam tussi ejecit, unde ex præsentanea suffocatione Serenissimus Princeps huic mundo valedixit.

Impetratâ Superiorum veniâ manè præsentibus Viris Clarissimis, *Dn. Jacobo Rothio*, Anatomico & Botanico, ac *Dn. Nicolao Eglingero*, *Physico*, Professoribus solertissimis, nec non *Dn. Johanne Conrado Wepfero*, Magni Patris Filio ingenuo, Philiatro industrio, ut & *Johanne Michaele Riespachio* ac *Isaco Schvvarzio*, Chirurgis exercitatis, ad causam morbi & mortis pleniùs & planius indagandam, corpus eviscetatum fuit. Aperto thorace, ubi fontem malorum latuisse Celebres Germaniæ Medici, *Dn. Sigismundus Closius* & *Dn. Johannes Wolgangus Mögling*, SERENISS. PRINCIP. MARCHION. BADENS. ET HOCHBERG. Archiatri felicissimi, etiam calculum suum addiderunt, pulmo cum impetu quasi prosiliens, stupendum in modum inflatus, universam pectoris cavitatem implevit, cujus tota pars dextra à lobo superiore usque ad inferiorem, sinistra pars autem ratione inferioris lobi tam firmiter pleuræ & costis annata erat, ut non sine labore illas separaverimus, quod fatum Serenissimo Principi cum Divo FERDINANDO Imperatore, & FRANCISCO Primo, Rege Galliarum, commune fuit. Exemptâ pulmonis com-

page obſervavimus ferè ubivis illam naturali ſuâ texturâ, ſpongiosâ nempe & rarâ, orbatam fuiſſe, etenim tota illius exterior ſuperficies innumeris ulcuſculis, inſtar acinorum, quos pro *Marcelli Malpighij*, inſignis Anatomici, veſiculis orbicularibus dilatatis agnovimus, obſeſſa fuit, intermediâ ſaltem ſiniſtrâ pulmonis parte ſanâ. In quibusdam cavernulis ſaniem recentem invenimus, in aliis plurimis pus fœtidum colligebatur, unde dubio procul contigit, quòd Sereniſſimus Princeps aliquando à duabus vel tribus ſeptimanis citra ullam reſpirationis difficultatem & tuſſis moleſtiam parùm puris ejecerit, ſeque tunc temporis extra jactum lethiferi teli poſitum eſſe ſibi firmiter perſuaſerit. Porrò cùm multæ cavernulæ in bronchia ſive fiſtulæ pulmonum aut aſperæ arteriæ ramulos manifeſtum aditum habuerint, mirum non erat, aliquando poſt mediam noctem, ſæpius autem ſummo manè, pus compactum & globoſum ad uncias uſque duas à Sereniſſimo Principe ejectum fuiſſe; etenim tale in prædictis aſperæ arteriæ propaginibus nimiùm dilatatis perſpicuè apparuit. Inſuper in dextra pulmonis parte vomicam, nucis moſchatæ æqualem, pure fœtidiſſimo refertam, nec non vaſa pulmonica ampliora & turgentiora, ſanguinemque per pulmonem hinc inde diſperſum notavimus, ut de vaſis pulmonici ruptura dubitandum non ſit. Fiſtula pulmonis tum ſanguine florido, tum grumoſo, repleta erat, unde cauſa eluceſcit, cur ultimus naturæ agon nec per dimidium horæ quadrantem duràrit. Cor nectaris vivifici fontem deprehendimus nulla ſingulari labe infectum, niſi quod parenchyma il-

ma illius non ita solidum, sed propter morbi diuturnitatem paulò laxum fuerit: humor serosus in pericardio copiosus erat, unde manifestum, perpetuæ veritatis non esse sententiam illorum, qui statuunt, humorem hunc pericardii in hecticorum cadaveribus exiguum reperiri: Vir clarissimus, *Dn. Victor Schneiderus lib. II. de catarrhis cap. IX.* asserit, se contrarium semper offendisse, pluribusque experimentis hoc verum cognovisse, unde excellentissimus Vir *Christophorus Maius*, Electoris Brandeburgici Archiater, atque cum eodem honore nominandus *Johannes Daniel Horstius*, ille quidem literis ad ipsum datis, hic sua septima observatione anatomicâ hoc idem confirmarunt. Aperto abdomine viscera principaliora, ventriculus, mesenterium, hepar, splen, renes reliquæque infimi ventris partes ab omni morbo liberæ inventæ sunt. Quapropter ex prædictis elucescit clariùs, quàm radii solis esse solent, cùm sudum est, stupendum istum coalitum cum pleurâ in dextro latere mortem Serenissimo Principi acceleravisse, quum in istis validis accretionibus pulmones ritè se constringere, ac materiam purulentam in bronchia exprimere nequeant, virtutem enim constringentem ope nervorum pulmonibus inesse, accuratè ut omnia demonstrat accuratissimus Anatomicus *Thomas Willisius*, nuper eheu rebus humanis magno cum Iatrices damno exemptus, in sua *cerebri anatomia cap. XXIV.* cujus verba lectu dignissima, utramque de vero pulmonum motu paginam absolventia, heic subnectere Lectori benevolo non ingratum erit. E cordis regione truncus nervi paris vagi plures insignes ramos utrinque dimittit,

mittit, qui in omnes quaquaversus pulmonum lobos, tracheæ bronchia ac œsophagi juxtà descendentis tunicam disseminantur, qui rami in pulmones abeunt, ubique per totas illorum compages arteriarum & venarum ramificationes, atque bronchiorum ductus assequuntur, quos equidem sanguinis ac aëris canales in toto illorum tractu variè superscandunt & circumligant. Quandoquidem tot insignes nervorum ramificationes pulmonibus impenduntur, mirum est, ipsas à nonnullis insensiles ac per se immobiles statui. Quippe recepta opinio est, istam pulmonum reciprocationem à thoracis motu omnino procedere, ejusque dilatationi & constrictioni necessariâ quâdam dependentiâ obsequi, nempe pectus dilatatum follium ritu aerem ambientem in tracheam cogere, qui in pulmones irruens ipsos inflat ac distendit; dein eodem pectore ultrò subsidente, pulmones ipsius pondere compressos aerem prius intrusum denuo expirare. Revera utrumque existimem diaphragma ac pectoris musculos respirationi multùm conducere, tamen partes istas hoc munus solitariè perficere & pulmones merè passivos esse, minimè concedo: nam respiratio sanguinis ac cordis gratiâ præcipuè instituitur, ejusque actus pro varia horum crasi determinari & pro multiplici pulsus necessitate ferè quâvis horæ minutâ alterari solet: at vero ipsi pulmones sunt (ac minimè diaphragma aut thoracis musculi) quos sanguis è corde ebulliens pertransit, & juxta temperiem suam atque pulsus tenorem continuò afficit: quare hinc concludere licet, ipsos pulmones primos motuum suorum instinctus con-

cipere

cipere, & prædictorum nervorum ope sese aliquatenus exerere, atque systolem & diastolem moliri, easque juxta propriæ necessitatis sensum designare, cùm verò his fibræ pro motu locali requisitæ desint, ideo diaphragma & thoracis musculi pulmonum inceptis è vestigio succenturiantur, atque horum connexu respiratio completa efficitur: cumque adeo nervi duplicis generis, nempe quidam à spina diaphragmati & thoracis musculis inserti, aliique à pari vago in pulmones distributi organa respirationis actuant, proinde fit ut ipse respirationis actus per se ἀβίαστος & involuntarius pro libitu nostro aliquantum cohiberi, interrumpi ac diversimodè alterari possit. Hæc *Willisius*.

Ex præcedentibus consiliis, epistolis & annexa historia anatomica intelligunt benigni rerum Æstimatores, in promovenda Serenissimi Principis valetudine prospera nihil intermissum, omniaque medicamenta præscripta fuisse, quæ ad tollendum hunc affectum ullâ arte inveniri potuerint: sed αὐτοψία exitusque ostendit

Quòd morbus fuerit nullis medicabilis herbis.

Tandem moriendum, & sive ocyùs sive seriùs calcanda lethi via est.

HVMANA CVNCTA

FVMVS VMBRA VANITAS

SCENÆ IMAGO

ET VT LIPSI VERBO ABSOLVAM

NIHIL.



INDEX I. OBSERVATIONUM.

XXVI. O-

LXXIX. Con-



INDEX II.
Autorum, qui citantur.

Hieronymus

Serenus



INDEX III.
Rerum præcipuarum.

A.

B.

Bubones

Convul-

F.

G.

H.

I.

Menstrua

X 5

Errata Typotheræ sic corrigenda.

Pag. 7. lin. 21. *Doctori* lege *Doctore*. 10. 13. *observarim* l. *observassem*. 37. 11. *oculi vi* l. *oculi partem vi*. 58. 3. *excernitur* l. *extenditur*. 71. 12. *edulceretur* l. *edulcetur*. 82. 21. *poricina* l. *porcina*. 110. 2. *Kiolanus* l. *Riolanus*. 194. 10. *factulis* l. *facculis*. 195. ult. *propulsisse* l. *propulisse*. 199. 15. *fumeret* l. *sumeret*. 203. 21. l. *in medicina supra me*. 208. 21. *mentem* l. *mensem*. 211. 20. *eadem* l. *eodem* 28. *elegmatis* l. *eclegmatis*. 211. 30. *primarius* l. *præmaturus*. 231. 2. *profundam*. l. *profundum*. 232. 5. *interitus* l. *intuitus*. 247. 14. *vitium* l. *virium*. 251. 10. *quinto* l. *quarto*. 253. 13. *quarto* l. *quinto*. 258. 11. *purulentâ* l. *purulenta*. 264. 8. *antiphthisum* l. *antiphthisicum*. 265. 5. *pullonum* l. *pullorum*. 292. 16. *postuler* l. *postulet*. 26. *graviotes* l. *graviores*.

FINIS.



